23548. II C g

# VARIA PIETATIS
# EXERCITIA
## DOMINIS SODALIBUS
PRÆCIPUE
## SACERDOTIBUS CURATIS
OBLATA
AB ALMA AC VENERABILI
SODALITATE B. V. MARIÆ
IN COELOS ASSUMTÆ

## PARS PRIOR

CONTINENS
PRECES MANE ET VESPERI,
ANTE ET POST CONFESSIONEM,
ANTE ET POST MISSAM: RITUS
IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM BAPTISMI, POENITENTIÆ,
EUCHARISTIÆ ET EXTREMÆ UNCTIONIS: MODUM ASSISTENDI MORIBUNDIS, ET VARIAS BENEDICTIONUM FORMULAS.

*Labaci Anno M. DCC. LXXII.*

LITERIS EGERIANIS.

IN=030007080

# EXERCITIUM MATUTINUM.

*Dum expergiſceris dic:*

In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † Sancti, Amen.

*Deinde ſigna frontem, os, & pectus dicens:*

Jesus Chriſtus crucifixus ſit in omnibus meis cogita†tionibus, ver†bis, & ope†ribus.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus; & fugiant, qui oderunt eum a facie ejus.

Sancte Deus, ſancte fortis, ſancte immortalis miſerere nobis.

Per ſignum † Crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter.
Crux † Chriſti protege me; Crux † Chriſti defende me; Crux † Chriſti ſalva me.

*Dum ſurgis, & te induis.*

In nomine Domini mei Jeſu Chriſti crucifixi ſurgo, qui me pretioſo ſuo ſanguine redemit; ille me benedicat, regat, protegat, & ad vitam perducat æternam. Amen.

Pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, & virtus ſacratiſſimæ paſſionis ejus: ſignum ſanctæ crucis & titulus triumphalis Jesus Nazarenus Rex Judæorum: integritas quoque Beatiſſimæ & Immaculatæ Virginis Mariæ: cuſtodia ſanctorum Angelorum, præſertim tutelaris mei: & ſuffragia ſanctorum Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, omniumque electorum Dei ſint intra me, & omnes inimicos meos viſibiles, & inviſibiles nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

Be-

Benedicta ſit ſancta & individua Trinitas: Te invoco, Te adoro, Te laudo, Te glorifico nunc & ſemper, & per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

*Pſalmus 62.*

Deus, Deus meus: ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea: quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deſerta, & invia, & inaquoſa: ſic in ſancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.

Ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo: quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

*Pſalmus 66.*

Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Ut cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Con-

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio &c.

*Hymnus.*

Jam lucis orto ſidere
Deum precemur ſupplices,
Ut in diurnis actibus,
Nos ſervet a nocentibus.
Linguam refrænans temperet,
Ne litis horror inſonet:
Viſum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Abſiſtat & vecordia:
Carnis terat ſuperbiam
Potus cibique parcitas:
Ut, cum dies abſceſſerit,
Noctemque ſors reduxerit,
Mundi per abſtinentiam
Ipſi canamus gloriam.

Deo Patri ſit gloria,
Ejusque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc & per omne ſæculum, Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum
℟. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
℣. Dignare Domine die iſto
℟. Sine peccato me cuſtodire.
℣. Miſerere mei Domine
℟. Miſerere mei.
℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper me
℟. Quemadmodum ſperavi in te.
℣. In te Domine ſperavi
℟. Non confundar in æternum,
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat
℣. Dominus vobiſcum
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei me pervenire feciſti, tua me hodie ſal-

va virtute, ut in hac die ad nullum declinem peccatum, ſed ſemper ad tuam juſtitiam faciendam mea procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per eundem Dominum noſtrum &c.

*Dum te lavas.*

℣. Aſperges me hyſopo, & mundabor.

℟. Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Amplius lava me Domine ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me, ut puris oculis te contempler; hic quidem per fidem, facie vero ad faciem in patria, ubi omnem lachrimam abſterges ab oculis meis, & mors ultra non erit, neque luctus. Amen.

*Dum te luſtrali aqua aſpergis.*

Præſta mihi omnipotens Deus per hanc creaturam aquæ ſanitatem mentis & corporis, tutelam ſalutis,

ſecuritatem ſpei, robur fidei, & fructum charitatis, nunc & in futurum. Amen.

*Indutus veſtibus dic flexis genibus:*

Pater noſter, Ave Maria, Credo &c.

## ORATIO.

*Alexandri Papæ VII. ſingulis diebus mane recitanda.*

Adoro te Sanctiſſima Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres Perſonæ, unus, & ſolus Deus.

Dejicio me in abyſſum mei nihili ſub conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ.

Credo firmiſſime, paratus mille vitas profundere, in conteſtationem omnium eorum, quæ nobis in ſacra Scriptura revelaſti, & per Eccleſiam tuam credenda propoſuiſti.

Omnem ſpem meam in te colloco, & quidquid poſſum habere boni, ſive ſpiritualis, ſive corporalis, & in hac, & in altera vita, id totum

tum deſidero, ſpero, & volo ſolum conſequi de tua manu, Deus meus, vita mea, & unica ſpes mea.

Conſigno tibi hodie, & in perpetuum corpus, & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes ſenſus meos.

Proteſtor, me non conſentire, neque conſenſurum unquam, quantum in me eſt, in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offenſa tuæ divinæ Majeſtatis.

Propono firmiſſime, impendere omne eſſe meum, facultates, ac vires meas ad ſervitium, & gloriam tuam.

Paratus ſum ſuſcipere quaſcunque adverſitates mihi paterna tua manus immiſerit ad dandum guſtum beatiſſimo cordi tuo.

Vellem me totum, quantus quantus ſum, impendere, & procurare, ut ab omnibus tibi ſerviatur; atque

omnes homines te glorificent, & ament Deum Creatorem ſuum.

Gaudeo ſumme de tua æterna felicitate, & exulto de tua tam magna gloria in cælo, & in terra.

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quæ mihi & toti mundo collata ſunt, & in dies inceſſanter a benigniſſima tua providentia conferuntur.

Amo infinitam bonitatem tuam, propter ſe ipſam, ex toto affectu cordis & animæ meæ; & vellem, ſi poſſem amare eo amore, quo te amant omnes Angeli & homines juſti, cum quorum amore conjungo imperfectiſſimum amorem meum.

Offero divinæ Majeſtati tuæ in unione meritorum paſſionis, vitæ, & mortis Chriſti, beatiſſimæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, nunc, pro ſemper, omnia opera mea, pretioſiſſimo ſanguine JESU Redemptoris noſtri lota, & involuta.

Sta-

Statuo omnino participem me ſacere, quantum poſſibile eſt, indulgentiarum omnium per actiones hujus diei, & illas applicare per modum ſuffragii pro animabus purgatorii.

Volo etiam omne illud, quod poſſum, offerre in pœnitentiam, & ſatisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, cum tu ſis infinite dignus omni amore, & ſervitio (ſi quidem tu es, qui es) doleo, quantum poſſum maxime, de omnibus peccatis meis, illaque deteſtor ſuper omnia alia mala: peto humillime veniam, facioque firmiſſimum propoſitum nunquam offendendi tuam bonitatem in æternum.

In vulnera tua me projicio o Jeſu! ibi me abſconde, & defende, hodie & ſemper: largiaris mihi gratiam videndi tui, & amandi te in æternum. JESU! MARIA! JOSEPH! Vobis dono meum cor, & animam meam.

# INTENTIO.

Domine Deus, Pater omnipotens, tremende, & adorande! qui me creaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam, ſuſcipe hujus diei exiguum ſervitutis meæ obſequium, quod te aſpirante & adjuvante aggredior. O quantum non debeo amori tuo; imo totum me tibi debeo: qui me pretioſo tuo ſanguine redemiſti; in vera fide & ſanctæ Eccleſiæ catholicæ gremio naſci voluiſti; per ſacræ regenerationis lavacrum ſanctificaſti, ad tam ſublimem ſacerdotii ſtatum in tua Eccleſia vocaſti, in hac denique vita non ſolum benigniſſime conſervaſti, ſed etiam innumeris aliis hactenus beneficiis cumulaſti, atque a tot animæ corporisque malis, hac etiam nocte, liberaſti. Pro his igitur beneficiis, Pater amantiſſime! gratias divinæ bonitati tuæ ago, non quas debeo, ſed quas poſſum maximas, ideoque coram ſacratiſſima Virgine Maria,

&

& curia tua cœleſti univerſa divinæ Majeſtati tuæ me totum offero, cogitationes, ſermones, & omnes tum hodiernas, tum alias totius vitæ meæ actiones ad laudem, gloriam, & beneplacitum tuum in unione illius puriſſimi amoris, quo dilectus Filius tuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, in vita, paſſione, ac morte voluntatem tuam perfecit.

Suſcipe Domine univerſam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem: quidquid habeo, vel poſſideo, mihi largitus es; id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis.

Conſerva in me contra omnium inimicorum inſidias ſanctam imaginem & ſimilitudinem tuam, ad quam me formaſti: largire intellectui meo, ut in vera tui cognitione quotidie incrementum accipiat; voluntati

meæ, ut terrena omnia deſpiciat, teque ſolum in omnibus, & præ omnibus pura intentione quærat, & diligat; memoriæ etiam meæ da, ut aſſidua meditatione ſanctiſſimæ voluntatis tuæ, & beneficiorum tuorum recordatione impleatur: concede omnibus viribus, & potentiis animæ meæ, ut corpus hoc, quod aggravat animam, cum omnibus ſenſibus & membris, tanquam arma juſtitiæ, & ſanctimoniæ, in conſpectu tuo ſemper exhibeam, atque ita pura, veraque fide, ſpe, charitate, & rerum omnium deſpicentia eo contendam, ad quod conditus, & pretioſo Filii tui Jeſu Chriſti ſanguine redemtus ſum. Amen.

Dirigere, & ſanctificare, regere, & gubernare dignare, Domine Rex cœli, & terræ, hodie corda & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic, & in æternum, te auxiliante ſalvi,

&

& liberi eſſe mereamur: qui vivis, & regnas, &c.

Mentes noſtras quæſumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus Filius promiſit, veritatem.

Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum; purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri, ut te perfecte diligere, & digne laudare valeamus. Per Dominum noſtrum &c.

*Ad Beatam Virginem Mariam.*

Sancta Maria, Mater Dei & Virgo, ego N. te hodie in Dominam, Patronam, & Advocatam eligo, firmiterque ſtatuo, ac propono, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum, neque permiſſurum, ut a meis ſubditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obſecro te igitur, ſuſcipe me in ſervum per-

pe-

petuum, adſis mihi in omnibus actionibus meis, nec me deſeras in hora mortis meæ. Amen.

O Regina Virginum, Maria amantiſſima Mater mea! ecce benigniſſimus JESUS Filius tuus Virgo, Joannem Virginem, & me indigniſſimum ſervum tibi Virgini moriens in Filium adoptavit. Obſecro te igitur per amorem, ſanguinem, & mortem ejus, ſuſcipe me in filium, quia Filium tuum, & te toto corde diligo, atque in Matrem eligo, æmulusque puritatis tuæ ſtatuo potius mori, quam cogitatione, verbo, opere, vel minimum inquinari. Te quidem ſequi cupio, & Jeſum agnum quocunque ierit, & cum Sponſo tuo Joſepho, & Angelo meo Cuſtode puritatem animæ, & corporis ſervare intaminatam: per ſanctam Virginitatem & immaculatam Conceptionem tuam puriſſima Virgo emunda cor, & carnem meam. Amen.

℣. In Conceptione tua Virgo immaculata fuiſti.

℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti.

Oremus.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparaſti; quæſumus, ut ſicut ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præſervaſti; ita nos quoque mundos ejus interceſſione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum noſtrum &c.

*Ad S. Angelum Cuſtodem.*

*Antiph.* Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna hac die illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen.

℣. Angelis ſuis Deus mandavit de te.

℟. Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

Oremus.

Deus, qui ineffabili providentia Sanctos Angelos tuos ad noſtram cuſtodiam mittere dignaris; largire ſupplicibus tuis, & eorum ſemper protectione defendi, & æterna ſocietate gaudere. Per Dominum noſtrum &c.

*Ad S. Joſephum.*

*Antiph.* Salve Patriarcharum decus, & Eccleſiæ ſanctæ Dei Oeconome, cui panem vitæ, & frumentum electorum conſervaſti.

℣. Ora pro nobis S. Joſeph.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Sanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine, meritis adjuve-

vemur, ut, quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis, & regnas &c.

*Ad SS. Apoſtolos Petrum & Paulum.*

*Antiph.* Glorioſi Principes terræ, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe; ita & in morte non ſunt ſeparati.

℣. In omnem terram exivit ſonus eorum.

℟. Et in fines orbis terrarum verba eorum.

Oremus.

Deus, cujus dextera beatum Petrum in fluctibus, ne mergeretur, erexit: & Coapoſtolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit; exaudi nos propitius, & concede; ut amborum meritis æternitatis gloriam conſequamur. Qui vivis, & regnas &c.

ORA-

# ORATIO.

*Ad Sanctos Patronos.*

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, Tu præſertim O Sancte N., cujus ego indignus nomen gero, cæterique omnes ſancti Patroni mei, Sancte N., Sancta N., intercedite pro me ad Dominum, ut de fraudibus diaboli, & a damnatione perpetua liberari poſſim. Adjuvate me hodie & quotidie precibus, & meritis veſtris: impetrate mihi a Deo cunctorum veniam peccatorum, victoriam tentationum, gratiam ſancti Spiritus, quæ me per omnia bene diſponat, corpus regat, animam protegat, & ad vitam perducat æternam. Amen.

# ORATIO.

*Qua alios commendas.*

Domine Deus, Pater & Redemptor omnium, exaudi me pro omnibus Ordinibus tibi ſupplicantem,

tem, ut eos ſecundum voluntatis tuæ beneplacitum dirigas in viam æternam. Suſcipe in tuam fidem, & protectionem omnes meos, parentes, cognatos, ſuperiores, benefactores, amicos, æquales, ſubditos, & curæ meæ commiſſos, etiam inimicos, hæreticos, infideles, omnes denique mortales, ut te agnoſcant, tibi ſerviant, tuamque in omnibus voluntatem impleant: eisque in omnibus actionibus, negotiis, bonisque cæptis gratia tua ſuccurre, ut omnis eorum vita, & labor honori tuo deſerviat, & eorum ſalutem promoveat æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

# EXERCITIUM VESPERTINUM.

*Antequam cubitum eas, quotidie præmitte examen conſcientiæ: quod in honorem quinque vulnerum Chriſti coram Crucifixi ſimulacro, vel imagine his quinque punctis abſolves.*

## PUNCTUM I.

Benigniſſime, & liberaliſſime Deus, quem hic mihi præſentem viva fide credo, adoro, laudo, & glorifico; ago tibi infinitas gratias pro univerſis beneficiis tuis, (*hic mente breviter præſtita a Deo beneficia recole*) nominatim pro cuſtodia hujus diei; ad cujus finem me pervenire clementer indulſiſti. In hujus meæ gratitudinis teſtimonium exoſculor amabiliſſimum Jesu Chriſti, Filii tui, quem mei amore crucifigi voluiſti, dexteræ manus vulnus. Et quia ego mi-

miſer, & egenus pro innumeris beneficiis tuis debitas gratias referre non valeo, offero tibi in gratiarum actionem hoc ipſum pretioſiſſimum Jesu mei vulnus, una cum reliquis ejusdem infinitis, & copioſiſſimis B. V. Mariæ, aliorumque Sanctorum, & Juſtorum meritis, & me totum in obſequium tuum.

## PUNCTUM II.

Pariter exoſculor gratioſiſſimum ejusdem ſiniſtræ manus vulnus: & per has amantiſſimas Crucifixi Salvatoris mei his vulneribus ſignatas manus novum iſtud a te peto beneficium: ut me hac nocte ab omnibus tum animæ, tum corporis periculis tueri, & prævie illuminare digneris; ut peccata & defectus, præſertim ab ultimo examine commiſſos, agnoſcere, & ad ſecuram quietem capiendam perfectæ contritionis actu expiare, ac me in futurum emendare valeam.

## PUNCTUM III.

Quare recogitabo pauliſper in amaritudine animæ meæ: quibus peccatis, defectibus, & negligentiis a divinæ voluntatis tuæ placitis, præprimis hodie deflexerim: ut illa in tuo, mi Jesu, miſericordiſſimo lateris vulnere, quod pariter reverenter exoſculor, per ſincerum doloris actum ſepelire, tuoque pretioſo pro me fuſo ſanguine animam meam abluere poſſim. *Hic breviter recogita* 1mo. *quomodo tua propoſita matutina circa fugam alicujus particularis vitii, vel virtutis particularis exercitium ſis executus. Deinde* 2do. *percurre cogitationes, verba, & actiones totius diei.* 3tio. *quomodo quinque ſenſus tuos cuſtodieris.* 4to. *Quomodo domeſticas muneris tui partes, ac præcipue ſpirituales officii tui obligationes impleveris; quidve in his boni, quod facere tenebaris, aut poteras, omiſeris.* 5to. *Quomodo tempus in tuum vel proximi commodum impenderis.*

*ris.* 6to. *Poteris inſuper breviter percurrere præcepta decalogi, eccleſiæ, peccata aliena, ſcandala data &c.*

## PUNCTUM IV.

O miſericordiſſime Deus! Ecce ego ingratiſſimus peccator projicio, & proſterno me ad pedes dilectiſſimi Filii tui Jeſu Chriſti, meæ ſalutis amore crucifixi: &, licet indignus, cum ſerio tamen pœnitentiæ affectu exoſculor pretioſiſſimum illius dexteri pedis vulnus. Deprecor ex animo, quod tam ingratus tibi hodie, & alias toto vitæ tempore vixerim. Doleo ex toto corde: quod te amabiliſſimum Deum, ſummum, & omni amore digniſſimum bonum meum, tot innumeris peccatis hactenus offenderim. Ah! utinam poſſem omnia mea delicta annihilare, & infecta reddere; ne videlicet te offendiſſem chariſſimumDeum meum. Scis enim, o Domine, & vides cor meum, quod, quia te vere, intime,

& ſuper omnia amo, ſummopere me cruciet, & affligat, quod vel unquam in aliquid, quod tibi diſplicet, conſenſerim.

## PUNCTUM V.

Unde ex hoc tui amore ſtatuo, ſerio me deinceps emendare, & omnia, ad quæ obligor exequi, & præſtare. Specialiter autem tua gratia fretus cavebo: ne labar in his N. & conabor magis in omnibus virtutibus (*præſertim N.*) proficere: confirma hanc bonam voluntatem meam per infinita Jesu Filii tui merita: quæ in ſatisfactionem meorum peccatorum offero; & cujus ſacratiſſimum ſiniſtri pedis vulnus devote exoſculor: meque efficaci auxilio adjuva: ut deinceps cautius per dexteram virtutum ſemitam ambulem, & nunquam ad ſiniſtram peccatorum viam declinem. Amen.

ORA-

# ORATIO

*S. Benedicti ante nocturnam quietam ex Biblioth. SS. PP. Tom. 15.*

Domine Deus omnipotens, qui me hac die per miſericordiam tuam cuſtodire dignatus es; deprecor clementiam tuam, ut concedas mihi hanc noctem ſine ullo peccato, aut ſatanæ inſidiis dulci & ſecura requie tranſigere, ut redeunte rurſus matutino tempore ſurgens tibi Deo meo laudes referre valeam. Amen.

In nomine Jeſu dormiam, ille me cuſtodiat, regat, & benedicat. Amen.

Tibi mi JEſu! ego omnes hujus noctis actiones, perturbationes, anguſtias, dolores, diaboli illuſiones, & tentationes, motus, ac reſpirationes commendo & offero.

Fac me ſuper pectus tuum requieſcere; da mihi trahere anhelitum de puriſſimo corde tuo; influat ſpiritus tuus ſuaviſſimus in animam meam,

qui eam abſorbeat, & inſeparabiliter ſibi uniat. Tu, quæſo, hac mecum nocte maneas, ut dormiente corpore mens ſemper ad te vigilet, & te præſentem videat. Reſpice me miſericordia tua, & ſomnia mea ita diſpone, ut nullum in his mihi objectum præter te præſentetur, in nullius rei, quam tui amorem cor exardeſcat, nec in alio quam in te ſolo requieſcat.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum; redemiſti me Domine Deus veritatis. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Qui plaſmaſti me, redemiſti, & ſanctificaſti me: miſerere mei o Deus meus! Dominus meus! amor meus & omnia.

## *Varii actus aliarum virtutum.*

Credo Domine! quidquid per ſanctam Eccleſiam tuam catholicam mihi tu, qui infinita es ſapientia & veritas, credendum proponis.

At-

Atque in hac fide proteſtor me velle vivere: utinam etiam liceat pro ea mori.

Doleo ex toto corde, quod te ſummam bonitatem toties offenderim, nec ſatis, prout par eſt, & deſidero, de ea offenſa dolore queam. Malo mori potius quam eam ullo amplius deliberato peccato, hac præprimis nocte, offendere.

Omnibus, qui me unquam offenderunt, lubens propter te, mi Deus, offenſas omnes ignoſco; utinam eodem animo, quo tu Patrem tuum pro inimicis in cruce oraſti. Et ſi quem ego offendi, precor eodem & mihi animo ab iis ignoſci.

Corrobora me, Domine JEſu, contra omnes ſatanæ inſultus, & ſcuto miſericordiæ tuæ me protege. In te enim omnis ſpes mea repoſita eſt, & in ſanguine tuo cum tanta charitate pro me fuſo, per quem me, licet indignum, ut ſpero, ſalvum facias.

Amo te, mi Deus, ex toto corde, & totis viribus meis propter te ipſum, qui ſummum, & infinitum bonum es, cupioque ardentius amare, quam te omnes Sancti & Beati amant in cœlis. Ah Domine, utinam hac amoris flamma cor meum colliqueſcat.

Ecce me in omne beneplacitum tuum paratum. In manus tuas commendo Domine ſpiritum meum. Nunc ſecundum voluntatem tuam fac mecum miſericordiam tuam, & in pace ſuſcipe ſpiritum meum.

## ORATIO

*Ad Beatam Virginem Mariam.*

O Domina mea ſancta Maria, Mater Dei & mea! me in tuam benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſericordiæ tuæ, hac præcipue nocte, animam meam, & corpus meum tibi commendo, omnem ſpem meam, & conſola-

ſolationem meam, omnes anguſtias, & miſerias meas, vitam, & præprimis vitæ meæ finem tibi committo, ut per tuam ſanctam interceſſionem, & merita tua, omnia mea dirigantur, & diſponantur opera ſecundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

Ave ſanctiſſima Maria, Mater Dei, Regina cœli, porta paradiſi, & Domina mundi; pura & ſingularis tu es Virgo: tu concepta ſine peccato concepiſti Jeſum ſine macula; tu peperiſti Creatorem & Salvatorem mundi, in quo ego non dubito. Ora pro me Deum dilectum Filium tuum, & libera me ab omnibus malis. Amen.

### *Ad ſanctum Angelum Cuſtodem.*

Sancte Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hac nocte, ita ab omnibus animæ & corporis periculis cuſtodi, defende, & protege, ut reſtauratis ſomno viribus ad novos pro Dei honore, & animæ meæ, proximique

ſalute labores lætus ac alacer, ſi ita divinæ viſum fuerit voluntati, iterum reſurgam. Amen.

*Ad SS. Apoſtolos Petrum & Paulum.*

*Antiph.* Petrus Apoſtolus & Paulus Doctor Gentium, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine.

℣. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.

℟. Memores erunt nominis tui Domine.

Oremus.

Deus, cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit; & Coapoſtolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius & concede; ut amborum meritis æternitatis gloriam conſequamur. Amen.

*Ad SS. Patronos.*

Sancte Joſephe, JEſu Chriſti nutritie! Sancte Joannes Baptiſta! Sancti NN. nominis mei Patroni, om-

omnesque cœteri Sancti & Sanctæ Dei! veſtræ protectioni ego humillimus cliens veſter commendo pariter corpus, & animam meam: ut contra omnes hoſtium inſidias defenſus, in pace in idipſum dormiam & requieſcam. Amen.

*Bona intententio.*

Quietem captabo, amantiſſime Deus; quia ſic beneplacitum eſt ante te: ut vires reficiam, & me pro ſancto tuo ſervitio aptiorem efficiam. Quoties per noctem reſpiravero, toties ſis benedictus o mi Deus; toties renovo, & renovari volo omnes meas jam alias elicitas intentiones, affectus, & propoſita. Amen.

*His ſubjunges tria* Pater, *&* Ave, *ac ſemel pſalmum* De profundis, *&* Lytanias Lauretanas *cum annexis orationibus, ſi lubet.*

*His dictis cubitum iturus, dum te veſtibus exuis, recita cum Eccleſia.*

## *Hymnus.*

Te lucis ante terminum
Rerum creator poſcimus,
Ut pro tua clementia
Sis præſul & cuſtodia.
Procul recedant ſomnia
Et noctium phantaſmata;
Hoſtemque noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præſta Pater piiſſime,
Patrique compar unice
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne ſæculum. Amen.

*Antiph.* Salva nos vigilantes, cuſtodi nos dormientes, ut vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace.

℣. Cuſtodi nos Domine, ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

Cre-

Oremus.

Viſita, quæſumus, Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant: & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ! tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.

Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, illumina, cuſtodi, rege, & guberna.

Angeli, & Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Poteſtates, Virtutes cœlorum, Cherubim, atque Seraphim, Patriarchæ, & Prophetæ, Sancti legis Doctores, Apoſtoli, omnes ſancti Martyres, ſancti Confeſſores, Virgines, Monachi, Anachoretæ, Sanctique omnes, & Electi Dei intercedite pro me. Amen.

*Deinde te, & lectum aqua benedicta aſpergens dic:*

Hujus aquæ tactus propulſet dæmonis actus: in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii & Spiri✝tus ſancti.

*Et dum lectum ingrederis, cogita te ſepulchrum ingredi, ſignoque te crucis muniens, denique dic:*

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti pro me crucifixi cubitum eo, qui me pretioſo ſanguine redemit. Ille me benedicat, regat, cuſtodiat, & in vitam perducat æternam.

Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.

Me cum prole pia benedicat Virgo Maria.

In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Amen.

# EXERCITIUM
ANTE
# SACRAM CONFESSIONEM.

## ADMONITIO.

Abſoluta quotidiana meditatione, prout tempus præſcripſerit, vel admiſerit, ante miſſæ ſacrificium diſcutiat Sacerdos conſcientiam ſuam, vel ad debite confitenda ſua, ſi opus & occaſio fuerit, peccata; vel ad eliciendum firmum, & efficacem de iis dolorem juxta monitum S. Pauli 1. Cor. 11. *probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit.* Quare recte S. Auguſtinus tr. 26. in Joan. ait: *quam multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur. Nonne buccellá Domini venenum fuit Judæ? & tamen accepit, & cum accepit, in eum intravit inimicus; non quia malum accepit, ſed quia bonum*

*male malus accepit. O quam horrendum*, inquiebat B. Virgo ad S. Brigittam Rev. lib. 6. c. 16., *eſt miſeris, qui talem & tam dignum Dominum indignis tractant manibus!* Cur? *quia tales Sacerdotes*, ait Chriſtus apud eandem ſanctam viduam Rev. lib. 1. c. 47. *non ſunt mei Sacerdotes, ſed veri proditores; ipſi enim & me vendunt quaſi Judas, & produnt. Ego conſpicio paganos & Judæos, ſed nullos video eis deteriores: horum judicium eſt maledictio.* Ne igitur tam terribilem incurramus maledictionem, neve judicium manducemus, & bibamus, corporisque & ſanguinis Dei rei ſimus, audiamus Auguſtinum tr. 26. in Joan. nos exhortantem & dicentem: *Videte ergo, Fratres! panem cœleſtem manducare, & innocentiam ad altare apportare.* Quod ut fiat, conſcientiam tuam hac, quam tibi ſubjicimus, brevi methodo diſcute, &, ſi quid pravi repereris, reſeca.

Ora-

ORATIO PRÆVIA.

Surgam, & ibo ad Patrem, & dicam: peccavi in cœlum & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de pœnitentibus tuis, & mitte mihi hodie unicam ſolummodo micam infinitæ miſericordiæ & gratiæ tuæ, ut peccata mea cognoſcere, deflere, dignamque de illis pœnitentiam agere poſſim.

## PUNCTUM I.

*Gratiæ agendæ Deo pro acceptis beneficiis.*

Gratias tibi ago Deus meus, quod ab æterno me amaveris, quod ex nihilo me condideris, & uſque in hanc horam conſervaveris, pretioſo ſanguine tuo redemeris, chriſtiana fide imbui volueris, & poſt innumera alia tam gratiæ quam naturæ beneficia tam benigne collata, ad ſtatum ſacerdotalem ex millibus eli-

elegeris, ac toties pretioſo tuo corpore & ſanguine refeceris: pro his omnibus immenſis beneficiis tibi gratias refero, precorque omnes Angelos & electos, ut ipſi pro me tibi laudes dicant, ac immortales gratias pro me referant.

## PUNCTUM II.

*Petendum lumen ad agnoſcenda peccata.*

Domine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſo, ſplendore gratiæ tuæ cor meum, ut ſufficienter agnoſcam defectus & peccata mea, eaque cum vero cordis dolore ac contritione confitear, ſicut oportet, coram te, & Sacerdote miniſtro tuo, ac plene pro iisdem ſatisfaciam, eademque emendem ad laudem, & gloriam tuam, & benedictæ Matris tuæ, & Sanctorum omnium, & ad ſalutem animæ meæ. Amen.

PUN-

## PUNCTUM III.

*Examinanda hic eſt conſcientia, quid contra Deum, proximum & teipſum cogitatione, verbo, & opere peccaveris: ſed & conſiderandus eſt præcipue ſtatus, officium, vocatio &c.; ſic facile, quid commiſſione, & omiſſione admiſeris, agnoſces.*

## PUNCTUM IV.

*Eliciendus poſtea dolor, & firmandum firmum propoſitum emendationis.*

Domine Jeſu Chriſte, verus Deus & homo, Creator, & Redemptor meus!

Pœnitet me ex toto corde, quod te offenderim Dominum & Deum meum,

Quem amo ſuper omnia, omni amore in ſe ipſo digniſſimum.

Propono firmiter amplius non peccare, omneſque peccandi occaſiones devitare, confiteri, & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit injuncta.

In ſatisfactionem peccatorum meorum offero tibi ſacratiſſimam vitam, paſſionem, ac mortem tuam, totumque pretium ſanguinis tui pro nobis effuſi, merita quoque Beatæ Mariæ ſemper Virginis & omnium Sanctorum, atque omnia opera mea & totam vitam meam.

Confido in bonitate & miſericordia tua infinita, quod per merita pretioſi ſanguinis tui mihi remiſſurus ſis omnia delicta mea, & gratiam uberem largiturus, qua vitam ſancte inſtituere, tibique perfecte uſque in finem ſervire valeam. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deus propitius eſto mihi peccatori!

JESU Fili David miſerere mei!

*Actus alius doloris & propoſiti fuſior.*

O Pater miſericordiarum, Deus meus, & amor! quid retribui tibi pro dilectione tua, niſi peccata negligentias, & ingratitudinem? Ah utinam te nunquam offendiſſem, nec poſthac unquam amplius offenderem. Tibi ſoli peccavi, o mi Deus! & malum coram te feci. Doleo ex intimo corde, quod majeſtatem & bonitatem infinitam his & innumeris aliis tota vita mea peccatis offenderim, quam debeo & amare volo, amoque ſuper omnia; idque, quia tu es Deus infinite bonus, potens, ſanctus, ſapiens, & in ſe omni amore dignus, cui peccatum ſuper omnia diſplicet, & adverſatur. O ſi te nunquam offendiſſem! revoco, retracto, & deteſtor, quidquid contra te cogitatione, verbo, opere, aut omiſſione unquam admiſi; cupioque, ac deſidero toto animo, me id nunquam admiſiſſe.

Hæc

Heu! pœnitet me ex toto corde, pœnitebitque tota vita mea. Et quamvis nulla pœna aut infernus, nullum præmium & cælum foret, tua tamen in ſe ipſa infinito amore digniſſima bonitas, a me toties offenſa ſufficit, ut mihi cor doloris vehementia rumpatur, & oculi flumina lachrimarum profundant.

Quare ex hoc tui amore firmiſſime ſtatuo, ac propono, te nullo amplius, etiam minimo deliberato, peccato offendere: omnes peccandi occaſiones fugere: rite confiteri: pœnitentiam implere: omne, ad quod obligor, facere: imo ut plenius ſatisfaciam, condono omnibus omnes injurias & offenſas mihi illatas, ſicut meas peto a te condonari; ſimulque pro peccatis meis offero tibi vitam, actiones, dolores, & labores meos omnes; & ſicut nunc tibi ſupplico, ita de tua infinita bonitate & miſericordia confido, fore, ut mihi per pretioſi ſanguinis,

&

& paſſionis tuæ merita veniam cum gratia tua concedas, ut commendatus in finem uſque perſeverem.

Reſpice igitur clementiſſime Deus ſuper me miſerum peccatorum oculis miſericordiæ tuæ, quibus reſpexiſti Petrum in atrio, Magdalenam in convivio, & latronem in cruce; & præſta: ut cum Petro peccata mea digne defleam, cum Magdalena perfecto amore te diligam, & cum latrone in ſæcula ſæculorum in paradiſo te videam. Amen.

## ORATIO.

*Immediate ante Confeſſionem dicenda.*

Scrutator cordium & renum Deus! en ego infelix & miſer peccator ſto ante tribunal tuum, ante te judicem, patrem tamen meum, tot criminum reus. Miſerere nunc peccatricis animæ meæ, ejusque clementer & vincula ſolve, & vulnera conſana. Da cordi meo verum dolorem,

& fontem lachrimarum oculis meis: ut cum humilitate, & puritate cordis omnes iniquitates & negligentias meas digne defleam, & integre aperiam, fructuque ſacratiſſimæ paſſionis Chriſti reviviſcat anima mea in vitam æternam. Amen.

*Ingreſſurus ipſum Confeſſionale dic:*

Ecce Domine! ego vilis peccator & indignus proſterno me coram miniſtro tuo, & venio ad ſuperfluentem abyſum miſericordiæ & pietatis tuæ, ut laver ab omni macula & munder ab iniquitate mea. Amen.

---

# EXERCITIUM
POST
## SACRAM CONFESSIONEM.

*Pſalmus 102.*

Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.

Be-

Benedic anima mea Domino: & noli obliviſci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Qui replet in bonis deſiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens miſericordias Dominus: & judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias ſuas Moyſi: filiis Iſrael voluntates ſuas.

Miſerator, & miſericors Dominus: longanimis, & multum miſericors.

Non in perpetuum iraſcetur: neque in æternum comminabitur.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniam ſecundum altitudinem cœli a terra: corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

Quantum diſtat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates noſtras.

Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.

Recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus: homo ſicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri ſic efflorebit.

Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet: & non cognoſcet amplius locum ſuum.

Miſericordia autem Domini ab æterno: & usque in æternum ſuper timentes eum.

Et juſtitia illius in filios filiorum his qui ſervant teſtamentum ejus.

Et memores ſunt mandatorum ipſius: ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit ſedem ſuam: & regnum ipſius omnibus dominabitur.

Be-

Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus: miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri, & Filio &c.

## ORATIO I.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? gratias tibi ago pientiſſime JESU, quod me indignum peccatorem ad pœnitentiam benigne expectaveris, veniam (ut ſpero) & indulgentiam peccatorum mihi conceſſeris. Suſcipe, obſecro, hanc humilem Confeſſionem meam, quam feci; & quidquid mihi nunc, ac alias defuit ad plenam & ſinceram enumerationem peccatorum meorum, & convenientem pro

iisdem dolorem, tu ex fonte miſericordiæ tuæ gratioſe ſupplere digneris, meque perfecte abſolutum habere in cœlis; & præſta auxilium gratiæ tuæ: ut deinceps peccata devitem, ac fidelius tibi ſerviam, intercedente glorioſa Virgine Genitrice tua Maria, & omnibus Sanctis, qui tibi placuerunt ab initio mundi: juravi enim, & firmiter ſtatui deinceps cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ te juvante. Qui vivis, & regnas, Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

## ORATIO II.

Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui etiam ſervi bona tua diſſipantis & nequam miſertus omne debitum dimiſiſti; quia te rogavit: ego ſervus ille nequiſſimus, qui toties non temporales ſolum, ſed etiam æternas pœnas promerui; a te tamen ſuppliciter peto, ut propter bonitatem

tuam

tuam & propter paſſionem & mortem JEſu Chriſti, in quo omnes iniquitates noſtras poſuiſti, & puniviſti, condones mihi univerſa delicta mea, & pœnas etiam propter eas debitas dimittere digneris. Amen.

## ORATIO III.

Sit tibi Domine, obſecro, meritis beatæ ſemper Virginis, Genitricis tuæ MARIÆ, & omnium Sanctorum grata, & accepta iſta confeſſio mea: & quidquid mihi defuit nunc, & alias de ſufficientia contritionis, de puritate, & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas, & miſericordia tua, & ſecundum illam me digneris habere plenius abſolutum in cœlo. Qui vivis, & regnas, &c.

## OBLATIO

*Converſationis, & Paſſionis Chriſti pro peccatis.*

O Amantiſſime Pater, in ſatisfactionem, & emendationem omnium

peccatorum meorum, offero tibi converſationem perfectiſſimam unigeniti Filii tui, omnemque ejus ſanctiſſimam Paſſionem, quam ipſe pro nobis ingratiſſimis peccatoribus pertulit ab ipſa hora, qua idem Verbum Caro factum eſt, uſque ad horam, qua inclinato capite in cruce clamore valido ſpiritum emiſit, rogans per merita ejus, ut deleas omnia peccata mea, gratiam conferas, ut eligam potius millies mori, quam ut te ſummum bonum meum, teque Patrem, ac Deum meum amantiſſimum, quem ſuper omnia amo, ac amare volo, unquam amplius minimo etiam peccato offendam: præſta igitur, ut te ſolum deinceps diligam, ſoli tibi placere ſtudeam, qui ſolus omnem omnium creaturarum mereris amorem. Amen.

## ORATIO
*Poſt peractam devote pœnitentiam.*

Suſcipe clementiſſime JESU hanc ſatisfactionem, quæ quidem nullatenus conferri poteſt cum multitudine meorum peccatorum, quibus Majeſtatem tuam toties graviſſime offendi; ſed projicio omnia debita mea in flagrantiſſimum ignem amoris tui, & in infinitum theſaurum meritorum tuorum, ut inde mihi plena abſolutio, & perfecta ſatisfactio reddatur. Amen.

---

# EXERCITIUM
### ANTE
# MISSÆ SACRIFICIUM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.

*Hymnus.*

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita:
Imple ſuprema gratia,
Quæ tu creaſti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Donum Dei altiſſimi;
Fons vivus, ignis, charitas,
Et ſpiritualis unctio.
Tu ſeptiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus:
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore ſic te prævio,
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus, da, Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo

Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In ſempiterna ſæcula. Amen.

*Antiph.* Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum; neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

*Quæ antiphona duplicatur tantum in feſtis duplicibus: & tempore paſchali additur in fine* Alleluja.

*Pſalmus 83.*

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati quia habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies una in atriis tuis: ſuper millia.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant

lant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.
Gloria Patri, & Filio, &c.

*Pſalmus 84.*

Benedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Jacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigaſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum iraſceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu converſus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam;

Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius: ut inhabitet gloria in terra noſtra.

Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terra orta eſt: & juſtitia de cœlo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

Gloria Patri, & Filio, &c.

*Pſalmus 85.*

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſalvum fac ſervum tuum Deus meus, ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quo-

Quoniam tu Domine ſuavis & mitis: & multæ miſericordiæ invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudiſti me.

Non eſt ſimilis tui in diis Domine: & non eſt ſecundum opera tua.

Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

Et tu Domine Deus miſerator, & miſericors: patiens, & multæ miſericordiæ, & verax.

Reſpice in me, & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo: & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.

Gloria Patri, &c.

*Pſalmus 115.*

Credidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.

O Domine, quia ego ſervus tuus: ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui Jeruſalem.

Gloria Patri, &c.

### *Pſalmus 129.*

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domimine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Su-

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri &c.

*Deinde repetitur* Antiph.

Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra vel parentum noſtrorum; neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi Domine, miſerere mei.

℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum.

℟. Et deprecare ſuper ſervos tuos.

℣.

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam.
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Ab occultis meis munda me Domine.
℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Aures tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus noſtris, & gratia S. Spiritus illumina cor noſtrum: ut tuis myſteriis digne miniſtrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem S. Spiritus cogitationes cordis noſtri: ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

Ure

Ure igne S. Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine; ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

Adſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

Deus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Conſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica; ut veniens Dominus noſter JESUS Chriſtus, Filius tuus, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

# INTENTIO
## SACERDOTIS CELEBRATURI.

*Gregorius XIII. Pontifex Maximus conceſſit cuilibet dicenti, quæ ſequuntur, quinquaginta annorum indulgentias.*

Ego volo celebrare miſſam, & conficere corpus & ſanguinem Domini noſtri Jesu Chriſti, juxta ritum ſanctæ romanæ Eccleſiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque Curiæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque Curiæ militantis, pro omnibus, qui ſe commendaverunt orationibus meis in genere, & ſpecie; & pro felici ſtatu ſanctæ romanæ Eccleſiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam, & conſolationem ſancti Spiritus, perſeverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus. Amen.

ALIÆ

# ALIÆ ORATIONES

*Pro opportunitate Sacerdotis ante Miſſæ Sacrificium dicendæ.*

## ORATIO I.

Deus, qui de indignis dignos facis, & de peccatoribus juſtos, & de immundis mundos: munda cor, & corpus meum ab omni contagione, & ſorde peccati, & fac me dignum ſanctis altaribus miniſtrum: concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, hoſtias acceptabiles, atque placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis, & offenſionibus, innumeriſque quotidianis exceſſibus meis, atque cunctorum ſimul chriſtianorum culpis abluendis: & per eum ſit tibi votum meum acceptabile, qui ſe tibi Deo Patri pro nobis obtulit ſacrificium. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, &c.

ORA-

## ORATIO II.

Obſecro te dulciſſime JESU Chriſte, ut paſſio tua ſit mihi virtus, qua muniar, protegar, atque defendar; Vulnera tua ſint mihi cibus, & potus, quibus paſcar, enutriar, atque delecter; Aſperſio ſanguinis tui ſit mihi ablutio omnium peccatorum meorum: Mors tua ſit mihi vita indeficiens: Crux tua ſit mihi gloria ſempiterna, reſurrectio, & auxilium, ſanitas, & gaudium, deſiderium, & ſolatium cordis mei nunc, & in perpetuum. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## ORATIO III.

*Sancti Ambroſii Epiſcopi.*

DIE DOMINICA.

Summe Sacerdos, & vere Pontifex JESU Chriſte, qui te obtuliſti Deo Patri hoſtiam puram & immacu-

culatam in ara crucis pro nobis miſeris & peccatoribus, & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſanguinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium iſtud in virtute Spiritus ſancti tui, dicens: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Rogo per eundem ſanguinem tuum, magnum ſalutis noſtræ pretium: rogo per hanc miram, & ineffabilem charitatem, qua nos miſeros, & indignos ſic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis noſtris in ſanguine tuo: doce me ſervum tuum indignum, quem inter cætera dona tua, etiam ad officium ſacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ: doce me quæſo per Spiritum ſanctum tuum, tantum tractare myſterium ea reverentia & honore, ea devotione & timore, quibus oportet, & decet. Fac me per gratiam tuam ſemper illud de tanto myſterio credere, & intellige-

re,

re, ſentire, & firmiter tenere, dicere, & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret ſpiritus tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem; profunda quippe ſunt nimis, & ſacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Miſſarum ſolemnia mundo corde, & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis, & nefandis, vanis, & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia, & fida cuſtodia, ac tutela fortiſſima, ut hoſtes omnium bonorum confuſi diſcedant. Per virtutem tanti myſterii, & per manum ſancti Angeli tui repelle a me, & a cunctis ſervis tuis duriſſimum ſpiritum ſuperbiæ, & cenodoxiæ, invidiæ, & blaſphemiæ, fornicationis, & immunditiæ, dubietatis, & diffidentiæ. Confundantur, qui nos perſequuntur: pereant illi, qui nos perdere feſtinant.

FE-

FERIA II.

Rex virginum, & amator caſtitatis, & integritatis, cœleſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis: ut maneat in me tenor caſtitatis corporis & animæ. Mortifica in membris meis carnis ſtimulos, omnesque libidinoſas commotiones, & da mihi veram, & perpetuam caſtitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate: ut ſacrificium laudis caſto corpore, & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reverentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, & animæ puritate iſtud divinum & cœleſte ſacrificium eſt celebrandum, ubi caro tua in veritate ſumitur, ubi ſanguis in veritate bibitur, ubi ima ſummis, terrena divinis junguntur, ubi adeſt ſanctorum Angelorum præſentia, ubi tu es ſacrificium, & Sacerdos mirabiliter conſtitutus.

FER-

FERIA III.

Quis digne hoc celebrare poterit, niſi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, & vere ſcio, & idipſum pietati tuæ confiteor, quia non ſum dignus accedere ad tantum myſterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed ſcio, & veraciter ex toto corde meo credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, & de peccatoribus juſtos, & ſanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc ſacrificium celebrare cum timore, & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia ſpirituali, & cœleſti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatiſſimæ præſentiæ tuæ, & excubias ſanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

FERIA IV.

Ego enim, Domine, memor venerandæ paſſionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi Sacrificium, quod inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationem tui pro ſalute noſtra. Suſcipe illud, quæſo, ſumme Deus, pro Eccleſia ſancta tua, & pro populo, quem acquiſiſti ſanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te, & eundem populum tuum, medium eſſe voluiſti, licet in me aliquod boni operis teſtimonium non agnoſcas, officium ſaltem diſpenſationis creditæ non recuſes: nec per me indignum, eorum ſalutis pereat pretium, pro quibus victima ſalutaris dignatus es eſſe redemptio. Profer etiam Domine, (ſi digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miſerias orphanorum, neceſſitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes languentium, de-

defectus ſenum, ſuſpiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

FERIA V.

Tu enim miſereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Memorare, quæ ſit noſtra ſubſtantia; quia tu Pater noſter es, quia tu Deus noſter es: ne iraſcaris ſatis, neque multitudinem viſcerum tuorum ſuper nos contineas. Non enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates noſtras, & ignem ſancti Spiritus clementer accende. Aufer cor lapideum de carne noſtra, & da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te ſequatur, te perfruatur. Oramus Domine clementiam tuam, ut ſereno vultu familiam tuam, ſacri tui nominis officia præſtolantem, aſpicere digneris: & ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, tu nobis preces ſuggere, quas

ipſe propitius audire, & exaudire delecteris.

FERIA VI.

Rogamus etiam te, Domine ſancte Pater, & pro ſpiritibus fidelium defunctorum: ut ſit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium, hoc magnum pietatis ſacramentum. Domine Deus meus, ſit illis hodie magnum, & plenum convivium de te pane vivo, qui de cœlo deſcendiſti, & das vitam mundo, de tua carne ſancta, & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de ſancto, & glorioſo beatæ Virginis Mariæ utero eſt aſſumpta, & de Spiritu ſancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo ſacratiſſimo latere emanavit: ut exinde refecti, & ſatiati, refrigerati, & conſolati exultent in laude, & gloria tua. Peto clementiam tuam Domine, ut deſcendat ſuper panem tibi ſacrificandum plenitudo tuæ benedictio-

nis

nis, & ſanctificatio tuæ divinitatis. Deſcendat etiam Domine illa ſancti Spiritus tui inviſibilis, incomprehenſibilisque majeſtas, ſicut quondam in patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras corpus, & ſanguinem tuum efficiat, & me indignum ſacerdotem doceat tantum tractare myſterium cum cordis puritate, & lacrymarum devotione, cum reverentia, & tremore, ita ut placide, ac benigne ſuſcipias ſacrificium de manibus meis ad ſalutem omnium, tam vivorum, quam defunctorum.

## SABBATO.

Rogo etiam te Domine per ipſum ſacroſanctum myſterium Corporis, & Sanguinis tui, quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur, & potamur, abluimur, & ſanctificamur, atque unius ſummæ divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas ſanctas, quibus repletus, bona conſcientia ad altare tuum accedam, ita

ut hæc cœleſtia ſacramenta efficiantur mihi ſalus, & vita. Tu enim dixiſti ore tuo ſancto, & benedicto: panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis dulciſſime, ſana palatum cordis mei, ut ſentiam ſuavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam præter te ſentiam dulcedinem. Panis candidiſſime, habens omne delectamentum, & omnem ſaporem, qui nos ſemper reficis, & numquam in te deficis, comedat te cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſſit in via, tali recreatus viatico. Panis ſancte, panis vive, panis munde, qui deſcendiſti de cœlo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni

in-

inquinamento carnis, & ſpiritus. Intra in animam meam, ſana, & munda me interius, & exterius. Eſto tutamen, & continua ſalus animæ, & corporis mei. Repelle a me inſidiantes mihi hoſtes: recedant procul a præſentia potentiæ tuæ, ut foris, & intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in myſteriis, ſicut in hoc tempore agitur, ſed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo, & Patri, & eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te ſatiabis ſatietate mirifica, ita ut nec eſuriam, nec ſitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu ſancto vivis, & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## ORATIO IV.

### *S. Thomæ Aquinatis.*

Omnipotens, ſempiterne Deus, ecce! accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini noſtri Jesu

Chriſti: accedo tamquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cœli & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, & Dominum dominantium, tanta ſuſcipiam reverentia, & humilitate, tanta contritione, & devotione, tanta puritate, & fide, tali propoſito, & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi, quæſo, dominici corporis, & ſanguinis non ſolum ſuſcipere ſacramentum, ſed etiam rem, & virtutem ſacramenti. O mitiſſime Deus da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod traxit de Virgine Maria, ſic ſuſcipere, ut corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter

ejus membra connumerari. O amantiſſime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

## ORATIO V.

*S. Auguſtini, ſive brevis commemoratio Paſſionis Chriſti.*

Deus, qui pro redemptione mundi naſci voluiſti, circumcidi, a Judæis reprobari, a Juda traditore oſculo tradi, vinculis alligari, ſicut agnus innocens ad victimam duci, atque conſpectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, a falſis teſtibus accuſari, flagellis, & opprobriis vexari, ſputis conſpui, ſpinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, veſtibus exui, cruci clavis affigi, in

cruce levari, inter latrones deputari, felle, & aceto potari, lancea vulnerari. Tu Domine per has ſanctiſſimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per ſanctam crucem, & mortem tuam libera me a pœnis inferni, & perducere digneris, quo perduxiſti latronem tecum crucifixum. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

## OBLATIO.

Suſcipe igitur, Pater cœleſtis clementiſſime, & Pater miſericordiarum, hodie per manus ſervi tui hoc ſacroſanctum ſacrificium, verum corpus & ſanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, in ſatisfactionem & remiſſionem omnium peccatorum meorum, in ſalutem animæ meæ, & omnium curæ meæ concreditarum animarum, illarumque etiam, quibus aliqua obligatione teneor, & omnium Dominorum, Prælatorum, Prædicatorum, Sacerdotum, & Re-

ligio-

ligioſorum Eccleſiæ catholicæ, ut eis gratiam Spiritus ſancti impertiri digneris ad ſalutem animarum ſuarum, & regimen totius populi chriſtiani, & omnium peccatorum hujus mundi, ut eos convertas, & ducas ad viam ſalutis: in conſolationem omnium tribulationum, ut eis adjutorium, & veram patientiam tribuas: & in refrigerium & liberationem omnium animarum exiſtentium in purgatorio, & maxime illarum, quæ a me jure expectant auxilium: ad illuminationem & converſionem omnium gentium, infidelium, hæreticorum, & ſchiſmaticorum, ut agnoſcant, & ament te ſummam virtutem, Patrem omnipotentem, qui cum Filio & Spiritu ſancto es laudabilis Deus, & benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

# PETITIONES.

## *Ad Beatam Virginem Mariam.*

*Quas ipſa beatam Gertrudem docuit lib. 40. pro digna diſpoſitione ad Miſſæ ſacrificium.*

I. Caſtiſſima Virgo Maria! rogo te per illam innocentiſſimam puritatem, qua Filio Dei in utero tuo virginali placitam manſionem præparaſti, ut tuis precibus ab omni macula merear mundari.

II. Humillima Virgo Maria! rogo te per profundiſſimam illam humilitatem, qua ſuper omnes choros Angelorum, & Sanctorum meruiſti exaltari, ut tuis precibus ſuppleantur omnes negligentiæ meæ.

III. Amantiſſima Virgo Maria! deprecor te per amorem illum inæſtimabilem, qui te inſeparabiliter Deo conjunxit, ut tuis precibus præſtetur copia diverſorum meritorum. Amen.

ORA-

## ORATIO.

*Ad Beatam Virginem Mariam.*

O Mater pietatis & miſericordiæ, beatiſſima Virgo Maria! ego miſer & indignus peccator ad te confugio toto corde & affectu, & precor dulciſſimam tuam pietatem, ut ſicut una cum beato Joanne Chriſto Jeſu dulciſſimo Filio tuo, in cruce pendenti, adſtitiſti; ita & mihi miſero peccatori, & ſacerdotibus omnibus hic & in tota Eccleſia ſacrificium incruentum offerentibus, hodie una cum dilectiſſimo Filii tui diſcipulo Joanne aſſiſtere digneris, ut gratia & interceſſione veſtra adjuti, dignam & acceptabilem hoſtiam in conſpectu ſummæ & individuæ Trinitatis offerre valeamus. Amen.

## ORATIO.

*Ad Sanctum vel Sanctam, cujus feſtum agitur.*

O Sancte N. vel Sancta N. cujus hodie memoriam in terris cele-

bramus, ego fragilis peccator de tuis meritis confiſus, intendo nunc offerre ſacratiſſimum ſacramentum corporis, & ſanguinis Domini noſtri JESU Chriſti pro tua gloria & honore; precor te igitur humillime: ut pro me nunc intercedere digneris tuis precibus ac meritis, quibus adjutus tantum ſacrificum digne & acceptabiliter offerre valeam. Amen.

## ORATIO

*Ad omnes Angelos & Sanctos.*

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes cœlorum, Cherubim, atque Seraphim, omnes Sancti, & Sanctæ Dei, præſertim Patroni mei NN., intercedere dignemini pro me, ut hoc ſacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre ad laudem & gloriam nominis ſui, ad utilitatem meam, totiusque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Amen.

# ALIUD EXERCITIUM

*Brevius ante Miſſam S. Franciſco Saleſio Epiſcopo Genuenſi uſitatum.*

Poſtquam diligenti examine conſcientiam tuam excuſſeris, &, ſi opus etiam ac opportunitas fuerit, defectus tuos ac peccata confeſſus fueris, pœnitentiamque, quoad fieri poterit, impleveris: media hora, aut uno ſaltem quadrante ante miſſam te collige, & toto affectu cordis ſequentia perage.

I. *Spiritu deſcendas in abyſſum tui nihili, tanquam in locum verum, & proprium, & ſtatim ibi elevans ad Deum mentem, elice actum profundiſſimum adorationis ſanctiſſimæ Trinitatis, & Verbi incarnati, vel etiam hæc & ſimilia profer.*

O Deus trine in Perſonis, & unus in eſſentia, & tu Domine JEſu Chriſte, verus homo & Deus, ex

toto

toto corde te adoro, ac confiteor, te meum eſſe verum, & unicum Creatorem, Salvatorem, & meum unicum finem. Et quia mea adoratio nimis exigua & debilis eſt, tibi offero excellentes illas adorationes, quas continuo tibi perſolvit tua ſanctiſſima humanitas, & glorioſa Genitrix tua Virgo Maria, totaque curia cœleſtis, ac ſancta Eccleſia catholica, ſponſa tua dilecta.

II. *Elice actus theologicos erga eundem Deum, ac Dominum tuum.*

FIDEI.

Toto ſiquidem corde credo, mi JEſu! & ore confiteor, quod Pater æternus, Deus ſe ipſo ſumme beatus, potens, perfectus, nullius egens, ſecundum infinitam miſericordiam ſuam ſic dilexit mundum, ut te Filium ſuum unigenitum nobis daret Salvatorem. Credo quoque, quod tu ipſe Patri æqualis per omnia ex

vi

vi immenſæ charitatis tuæ de ſinu Patris deſcendiſti in uterum Virginis, & propter nos homo factus es. Et quod ex amore noſtri hoc ſacramentum in ultima cœna inſtituens, verum corpus & ſanguinem tuum, id eſt, te ipſum nobis ad manducandum dediſti: & denique Patri tuo factus obediens uſque ad mortem, te ipſum pro nobis hoſtiam in ara crucis obtuliſti. Hæc & omnia alia, quæ tu æterna veritas & ſapientia per unam, ſanctam, catholicam, & apoſtolicam Eccleſiam tuam credenda propoſuiſti, viva fide credo, & profiteor.

SPEI.

Ideo ſpero in tua infinita bonitate, & miſericordia, & magna fiducia ad te venio Domine! qui noſtri cauſa tam mira facere, & tam dira pati voluiſti. Quid enim negabis, qui ſic amaſti, ut te ipſum nobis dares; quique ea, quæ nobis promiſiſti & dare potes, etiam infallibiliter dare vis.

AMO-

## AMORIS.

Denique, o Domine! ex toto corde ex tota anima, & ex omnibus viribus amo te; qui ſummum, perfectiſſimum & infinitum in te ipſo es bonum, omni amore digniſſimum; teque non ſolum ſuper omnia amare deſidero: ſed etiam, ſi poſſibile foret, te amare cuperem illo amore perfectiſſimo, quo te ipſum amas, & quo tua ſanctiſſima humanitas, & glorioſiſſima Virgo Maria, cum tota curia cœleſti te amant.

III. *Elice actum contritionis cum humilitate & confidentia in miſericordia Dei.*

Et cum, o Domine! ſis infinite bonus, ſapiens, verax, potens, juſtus, & miſericors, ideo ex toto corde doleo, & ſuper omnia deteſtor omnia peccata mortalia & venialia, quæ unquam cogitatione, verbo, & opere a primo inſtanti quo

quo uſum rationis habui, uſque ad præſentem horam commiſi: & loco mei imperfecti doloris offero tibi amaram illum contritionem, quam ſanctus Propheta David, ſanctus Petrus, & ſancta Maria Magdalena, imo omnes vere pœnitentes unquam habuerunt, cum voluntate abſoluta, te nunquam amplius, adjuvante tua gratia, offendendi.

IV. *Præcedentibus ſubjunge actum ſatisfactionis.*

Et quia, o Domine! in mea non eſt poteſtate, ut ſatisfaciam tot debitis, quibus ob mea peccata, & offenſas me plus quam obligatum profiteor; ideo in ſatisfactionem eorum offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, omnes labores, pœnas, & dolores, quos ſuſtinui, & adhuc ſuſtenturus ſum, cum meritis vitæ, paſſionis, & mortis tui unigeniti Filii, humillime petens, veniam omnium meorum delictorum,

& efficacem gratiam, ut de iis ante mortem veram pœnitentiam agere poſſim.

V. *Demum adjice actum oblationis, quo recta intentio formetur.*

Demum, o Domine! me tibi totum in hoc ſacrificio ad tuum honorem, & æternam gloriam offero, & conſecro, in unione illius ardentiſſimi amoris & puriſſimæ intentionis, quibus te ipſum in ultima cœna nobis in cibum tradidiſti, & in ara crucis ſacrificium cruentum pro nobis obtuliſti; & loco exiguæ meæ præparationis, ac præſentis meæ parvæ devotionis tibi offero profundam illam humilitatem, charitatem, puritatem, cum quibus tua ſanctiſſima Mater, & omnes tui fideles, & famuli ad hoc ſanctiſſimum ſacramentum acceſſerunt, & quibus ornati ſancti Apoſtoli, imo omnes ſancti Sacerdotes hoc tremendum ſacrificium tibi obtulerunt a prima tua inſti-

ſtitutione uſque ad præſens tempus, & quibus adornata tua ſancta Eccleſia catholica ubique locorum offert.

VI. *Denique appone actum poſtulationis, abnegationis, & unionis cum Deo.*

Fac igitur, o bone JEſu! per infinitam bonitatem, & miſericordiam tuam; ut hoc divinum myſterium & admirabile donum charitatis tuæ debita ſemper fide, reverentia, & gratitudine proſequar: idque puro & ardenti corde nunc & ſemper recipiam. Statum hunc quoque meum, ad quem ſingulari gratia me vocare dignatus es, charitate, caſtitate, humilitate, manſuetudine, patientia, ſobrietate, zelo tuæ gloriæ promovendæ &c., moribusque tibi placitis, & ſacerdote dignis excolere ſtudeam: idque ut ſervitus mea magis tibi placeat ad majorem gloriam tuam, Eccleſiæ utilitatem, & propriam proximique ſalutem. Unde ſupplex oro,

ut per virtutem corporis & ſanguinis tui abſtrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus N. qui guſtum, & fructum hujus Sacramenti impediunt, idque intime tibi unias, ut guſtem, quam ſuavis ſis Domine; & unus tecum efficiar ſpiritûs, ut tu in me, & ego in te maneam; adeoque nihil ſit, quod me unquam a te ſeparare valeat. Nam adhærere tibi bonum eſt mihi, & in te ponere ſpem meam. Quid enim mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram? O pars mea, Deus in æternum.

VII. *Tandem concludes, vel antequam ad induendum te ſacris veſtibus accedis; vel dum jam in medio altaris indutus conſiſtis, renovando intentionem, pro quibus perſonis, & neceſſitatibus tibi celebrandum ſit.*

O infinita Dei Majeſtas! ego indigniſſimus peccator intendo, te adjuvante, tremendum hoc ſacrificium

cium corporis, & ſanguinis Domini noſtri JEſu Chriſti offerre, & in hac oblatione facere, quod ſancta mater Eccleſia facere intendit, & Chriſtus ipſe docuit,& in ultima cœna inſtituit; ſcilicet conficere corpus & ſanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti tanquam miniſter Eccleſiæ in perſona Chriſti, ad implendas omnes pias intentiones, quas unquam feci, aut facere poſſum, præſertim illas ſeptem, quas in oratione dominica Chriſtus ipſe docuit. Adjuva me igitur Deus meus, tuque o dulciſſima Dei Mater aſſiſte mihi nunc, & Filium tuum una mecum æterno Patri offer: ſed & vos ſancti Angeli, qui aram trementes circumſtatis, ſeraphicis veſtris laudibus, & adorationibus teporem meum accendite, veramque devotionem impetrate.

Amen.

# MODUS INTENTIONIS.

*Sive memoria Vivorum in Miſſa facienda.*

Mei, Parentum, Fratrum, ſororum, cognatorum, & amicorum meorum.

Omnium Epiſcoporum, Prælatorum, Superiorum ſpiritualium, & Sacerdotum, ac ſanctæ Dei Eccleſiæ Miniſtrorum.

Omnium Principum chriſtianorum, Dominorum, & Præpoſitorum ſæcularium.

Omnium Fundatorum, Patronorum, & Benefactorum meorum tam in ſpiritualibus, quam temporalibus.

Omnium peccantium, inimicorumque meorum, atque hæreticorum, & infidelium ad converſionem.

Omnium, quibus fui gravamen, ſcandalum, aut occaſio peccandi.

Omnium afflictorum, ægrotantium, agonizantium, & improviſa morte morientium.

Omni-

Omnium curæ meæ ſpirituali, aut quocunque modo commiſſorum in genere & ſpecie: denique omnium pro quibus vis, & ſcis me debere orare.

*Memoria defunctorum ſic facienda.*

Animarum parentum, fratrum, ſororum, cognatorum, atque amicorum meorum.

Animarum Epiſcoporum, Prælatorum, Superiorum, Sacerdotum, atque omnium miniſtrorum ſanctæ Dei Eccleſiæ.

Animarum Fundatorum, Patronorum, Principum, & Dominorum ſæcularium, Benefactorum meorum tam in ſpiritualibus, quam temporalibus.

Animarum, quæ occaſione mei purgantur, & quarum non habetur ſpecialis memoria.

Animarum improviſa morte mortuorum, aut preces meas deſiderantium.

Animarum in genere & ſpecie mi-
hi commiſſorum, & pro quibus vis,
& ſcis me debere orare.

---

# EXERCITIUM
## POST
# SACRIFICIUM MISSÆ.

*Antiph.* Trium Puerorum cantemus hymnum, quem cantabant ſancti in camino ignis benedicentes Dominum. *Quæ antiphona in feſtis duplicibus duplicatur: & tempore paſchali additur:* Alleluja.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino

Be-

Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet, & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete & omnia, quæ mo-

moventur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Iſraël Dominum: laudet, & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite ſacerdotes Domini Domino: benedicite ſervi Domini Domino.

Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino: benedicite ſancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Miſaël Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu: laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

*Pſalmus 150.*

Laudate Dominum in ſanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in choris & organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

Gloria Patri & Filio, &c.

*Deinde repetitur antiphona.*

Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt Sancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.
℣. Non nobis Domine, non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius: ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra

ſtra oratio, & operatio a te ſemper incipiat, & per te cepta finiatur.

Da nobis, quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Anima Chriſti ſanctifica me, corpus Chriſti ſalva me, ſanguis Chriſti inebria me, aqua lateris Chriſti munda me: o bone JEſu exaudi me, & ne permitas me ſeparari a te, ab hoſte maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & pone me juxta te, ut cum Angelis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis.
℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

Oremus.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos

corporis & ſanguinis ſacra myſteria venerari, ut redemtionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas &c.

*Pia ſuſpiria poſt Miſſam.*

Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Te mi JESU! amplector, & amoris mei gaudium obtineo. Te cordis mei theſaurum comprehendo, in quo omnia poſſideo. Sentiat, obſecro, mens mea virtutem præſentiæ tuæ: guſtet, quam ſuavis ſis Domine, ut amore tui capta nil extra te quærat, nil diligat niſi propter te. Tu es Rex meus, ne obliviſcaris inopiæ & tribulationis meæ. Tu es Judex meus, parce peccatis meis, & miſerere mei. Tu es Medicus meus, ſana omnes infirmitates meas. Tu es Sponſus animæ meæ, ſponſa te mihi in ſempiternum. Tu es Dux & Defenſor meus, pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Tu victima pro me factus es, & ego

tibi

tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Tu Redemptor meus es, redime animam de manu inferi, & ſalva me. Tu es Deus meus, & omnia. Quid enim mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

## ORATIO I.

*Sancti Thomæ Aquinatis.*

Gratias tibi ago Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ ſatiare dignatus es pretioſo corpore & ſanguine Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti. Et precor, ut hæc ſancta Communio non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris a veniam. Sit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio: concupiſcentiæ, & libidinis exterminatio:

 cha-

charitatis, & patientiæ, humilitatis, & obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio: contra inſidias inimicorum omnium, tam viſibilium, quam inviſibilim, firma defenſio: motuum meorum, tam carnalium, quam ſpiritualium, perfecta quietatio: in te uno, ac vero Deo firma adhæſio, atque finis mei felix conſummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, & Spiritu ſancto, ſanctis tuis es lux vera, ſatietas plena, gaudium ſempiternum, jucunditas conſummata, & felicitas perfecta. Per eundem Chriſtum, &c.

## ORATIO II.

*Sancti Bonaventuræ.*

Transfige, dulciſſime Domine JEſu, medulas & viſcera animæ meæ ſuaviſſimo ac ſaluberrimo amoris tui vulnere, vera, ſerenaque, & apoſtolica ſanctiſſima charitate, ut

lan-

langueat, & liqueſiat anima mea ſolo ſemper amore & deſiderio tui, te concupiſcat, & deficiat in atria tua, cupiat diſſolvi, & eſſe tecum. Da, ut anima mea te eſuriat, panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum, superſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem, & ſaporem, & omne delectamentum ſuavitatis: te, in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat, & comedat cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ: te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te ſemper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui, cum humilitate, & diſcretione, cum dilectione, & delectatione, cum facilitate, & affectu, cum perſeve-

 ran-

rantia uſque ad finem: & tu ſis ſolus ſemper ſpes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies, & tranquillitas mea, pax mea, ſuavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, ſapientia mea, portio mea, poſſeſſio mea, theſaurus meus, in quo fixa, & firma, & immobiliter ſemper ſit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

## ORATIO III.

### *S. Franciſci Saleſii Genuenſis Epiſcopi variorum actuum.*

Domine JEſu Chriſte, unice Salvator meus, ex toto corde te adoro, & ob tantam mihi conceſſam gratiam infinitas gratias tibi refero. Et qui omni amore dignus es, te ſuper omnia diligo, doleoque, quod te hactenus non amaverim, nec in præſenti, in quantum mereris, te amem. Et in hujus defectum tibi of-

fero

ſero omnes adorationes, gratiarum actiones, affectus, & actus amoris, reverentiæ, & gratitudinis, quos unquam tua ſanctiſſima Mater, omnes tui Sancti, ac fideles tui famuli in curia illa cœleſti, ac in hac ſancta Eccleſia, ſponſa tua elicuerunt, ac nunc defacto eliciunt. Doleo ex corde, o Domine JEſu, & de nulla re magis dolebo, quam quod te toties, & tam multiformiter offenderim: & mihi ſumme diſplicet, quod illum dolorem in me non ſentiam, qualem ſumma tua bonitas, & Majeſtas requirit. Quare humillime per merita ſanctiſſimæ tuæ paſſionis veniam peto, offerens me ipſum cum illa benedicta paſſione tua, & omnia, quæ impoſterum toto vitæ meæ curſu in remiſſionem peccatorum meorum aut facturus, aut paſſurus ſum. Et ut illa confidentia, quam concepi, quod mea peccata condonaturus ſis, in tua infinita bontate, & clementia fundata eſt, ſic per illam te depre-

cor, ut mihi gratiam concedas abundantem me emendandi, & in ſervitio tuo uſque in finem perſeverandi.

## ORATIO IV.

### *Ad Beatam Virginem.*

O Sacratiſſima & glorioſiſſima Virgo Maria, quæ Creatorem omnium creaturarum in tuo ſacratiſſimo utero fuiſti digna portare, ſolaque virgineo ubere lactare: cujus veraciſſimum ſacrumque corpus, & ſanguinem ego indignus peccator modo ſumere præſumpſi: tuam humiliter deprecor miſericordiam, ut apud ipſum pro me peccatore intercedere digneris: ut, quidquid in hoc tam ineffabili ac digniſſimo ſacrificio, per me indignum, ignoranter, vel negligenter, aut accidenter, ſeu irreverenter, ſcilicet in tractando, & ſumendo, ac miniſtrando actum eſt, commiſſum, vel omiſſum, tuis ſacratiſſimis precibus indulgere dignetur idem Dominus noſter JEſus Chriſtus

Fi-

Filius tuus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

# VARII AFFECTUS
POST
# SACRIFICIUM MISSÆ.

*Affectus & petitiones devotæ S. Auguſtini.*

Domine JEſu noverim te, noverim me;
Nec aliquid cupiam niſi te.
Ut odiam me, & amem te;
Quidquid agam, ſit propter te.
Humiliem me, exaltem te;
Nihil cogitem niſi te.
Mortificem me, & vivam in te,
Quæcunque eveniant, accipiam a te.
Perſequar me, ſequar te;
Semper optem ſequi te.
Fugiam me, confugiam ad te,
Dignus ſim defendi a te.
Timeam mihi, timeam te,
Simque de electis a te.

Di-

Diſidam mihi, fidam in te,
  Obedire velim propter te.
In nullo afficiar, niſi in te,
  Aſpice me, ut diligam te.
Voca me, ut videam te,
  Et in æternum potiar te.

## ORATIO

Abſorbeat, quæſo, Domine JEſu Chriſte! mentem meam ignita & meliflua vis amoris tui, & retrahat ab omnibus, quæ ſub cælo ſunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori. Amen.

## AFFECTUS

*S. Ignatii Loyolæ.*

O Deus ego amo te,
  Nam prior tu amaſti me:
En libertate privo me,
Ut ſponte vinctus ſequar te.
  Nil ſuggerat memoria,
Niſi de tua gloria,

Nil intellectus ſapiat,
Præterquam ut te capiat.
Proteſtor nihil velle me,
Niſi quod ſciam velle te;
Quæ dono tuo mea ſunt,
Hæc dono meo tua ſunt.
A te accepi, recipe,
Quid illis velis, præcipe:
Guberna ſicut ſcis, & vis;
Nam ſcio, quod amator ſis.
Amore ſolo dona me,
Ut ego quoque amem te;
Et vigil, & per ſomnia,
Hæc dando dabis omnia.

## ORATIO

Suſcipe Domine univerſam libertatem meam: accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem meam; quidquid habeo, vel poſſideo, mihi largitus es: id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum; amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam poſco. Amen.

AF-

# AFFECTUS

*S. Franciſci Xaverii Indiarum Apoſt.*

O mea mihi viſcera,
vos rumpite amores:
Miſcebo tanquam munera,
Amoribus dolores.
O Deus! Deus! Deus!
Tu totus, totus meus:
Sim ego totus tuus,
Et nunquam meus.
Audi JEſu, quid offeram,
Cum de meo nihil habeam:
Tota mea oblatio,
Sit tua ſancta paſſio.

## ORATIO.

Obſecro te dulciſſime Domine JEſu Chriſte, ut paſſio tua ſit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar. Vulnera tua ſint mihi cibus, quibus paſcar, inebrier & delecter. Aſperſio ſanguinis tui ſit mihi ablutio omnium peccatorum meorum. Mors tua ſit mihi gloria ſem-

ſempiterna & nunc & in perpetuum. Amen.

## *Hymnus.*

### *Ad S. Liborium Epiſcopum.*

Chriſte Præſul egregius,
Pro nobis hic Liborius
Oret Deum altiſſimum;
Ne pro culpa peccaminum
Morbo vexemur calculi:
Succurrant nobis Angeli,
Et poſt vitæ certamina;
Ducant ad vera gaudia.

℣. Ora pro nobis beate Libori.

℟. Ut a calculi doloribus liberemur.

### Oremus.

Deus, qui beatum Liborium, Pontificem & Confeſſorem aliis innumeris clarum miraculis, ſpeciali in medendis arenæ & calculi doloribus privilegio decoraſti: tribue quæſumus, ejus meritis & interceſſione ita ab iis & aliis malis nos erui, ut

ſimul

ſimul æternis gaudiis perfrui mereamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

# EXERCITIUM
## SACRORUM RITUUM
In Adminiſtratione Sacramentorum.

*Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ & extremæ Unctionis.*

## In Baptiſmo Parvulorum obſervanda.

*Suppoſitis, quæ in Rituali romano ac diæceſano de materia, forma, & miniſtro hujus Sacramenti: item de patrinis, obſtetricibus, ſacris oleis, vaſis, aliisque requiſitis fuſe præſcribuntur, diligenterque & iterato a Sacerdotibus curatis relegenda ſunt, quæ ſpeciatim ibidem circa baptiſmum parvulorum adnotantur, & Sacerdoti curato obſervanda ſunt, hæc fere præ cæteris ſunt.*

*Hor-*

*Hortetur opportune eos, ad quos cura pertinet, ut natos infantes ſive baptizandos, ſive baptizatos, quamprimum fieri poterit, & qua decet chriſtiana modeſtia, ſine pompæ vanitate deferant ad Eccleſiam; ne illis Sacramentum tantopere neceſſarium, nimium diferatur cum periculo ſalutis: & ut in iis, qui ex neceſſitate privatim baptizati ſunt, conſuetæ cæremoniæ ritusque ſuppleantur, omiſſa forma & ablutione.*

*Quare cum neceſſitas ſæpe exigat, & pudoris gratia deceat, ut urgente mortis periculo infantes nondum omnino editi, ab obſtetricibus baptizentur, invigilare debet Parochus, ut eæ juratæ ſint, rectumque baptizandi ritum teneat, intentionem requiſitam antea forment, & omnia circa debitam formam & materiam non ſolum ſciant, ſed etiam exacte obſervent.*

*Ac licet urgente neceſſitate, ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius locus adminiſtrandi baptiſmi ſit*

*Ec-*

*Eccleſia, in qua fons baptiſmalis habeatur, vel certe baptiſterium prope Eccleſiam.*

*Itaque, neceſſitate excepta, in privatis locis, aut ædibus nemo baptizari debet, niſi forte ſint Regum, aut magnorum Principum filii; id ipſis ita depoſcentibus: dummodo id fiat in eorum Capellis, ſeu Oratoriis, & in aqua de more benedicta.*

*Cum igitur Baptiſmi Sacramentum jam adminiſtrandum eſt, hæc in promptu habeat:*

*Vaſcula ſacri olei Cathecumenorum, & Chriſmatis, quæ ex argento, aut ſaltem ſtanno ſint, bene obturata, & propriis litteris majuſculis ſignata, ne in eorum uſu confuſio aliqua oriatur.*

*Vaſculum cum ſale aut benedicendo aut jam prius benedicto, benedictione peculiari, quæ infra præſcribitur: idque ſit prius bene confractum, & attritum, ſiccum & mundum.*

*Vaſculum ſeu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam*

*Bap-*

*Baptiſmi fundendam ſupra caput baptizandi, quod nulli præterea uſui deſerviat.*

*Pelvis ſeu baccile ad excipiendam aquam ex capite defluentem: quæ niſi ſtatim ad ſacrarium baptiſterii prope ipſum fontem exſtructum defluat, ad illum vel ipſum templi ſacrarium effundi debet: cavendum proinde, ne ex infantis capite ad ipſum fontem baptiſmalem rurſus defluat.*

*Goſſipium, alio nomine, bombacium, ſeu quid ſimile ad abſtergenda ſacris oleis inuncta loca.*

*Stollæ duæ, una violacea, & altera alba, ut infra notatur, mutanda.*

*Medulla panis, qua inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abſtergantur, & vas ad manuum lotionem poſt baptiſmum, quod huic tantum uſui deſervire decet.*

*Alba veſtis in modum pallioli, ſeu linteolum candidum infantis capiti imponendum.*

Ce-

*Cereus ſeu candella cerea, baptizato ardens tradenda.*

*Patrini unus tantum ſive vir, ſive mulier; vel ad ſummum unus, & una ex decreto Concilii Tridentini, iique ſint ætate puberes, confirmati, nec monachi, aut moniales, aut cujuscunque ordinis regulares a ſæculo ſegregati, nec duo viri aut duæ mulieres, nec denique ipſius baptizandi pater aut mater.*

*Liber denique ritualis, & baptiſmalis adſit, in quo baptizati juxta recens præſcriptam normam inſcribantur.*

*Omnibus igitur opportune paratis, Sacerdos ad tanti ſacramenti adminiſtrationem lotis manibus, & ſtola violacea indutus accedat, & Clericum unum vel plures, ſi poteſt ſecum, ſuperpelliceo pariter indutos vel alios in horum defectu adhibeat, qui ipſi miniſtrent.*

*Ita paratus, cum intentione faciendi, quod per hoc ſacramentum facere intendit Eccleſia catholica, accedat ad limen templi, ubi foris expectant, qui infantem detulerunt. Inter-*

*Interroget, niſi de his ſibi jam conſtet, an ſit ſuæ Parochiæ, maſculus an fœmina, an domi ſit baptizatus, & a quo, & quam rite, & qui ſint compatres, qui infantem teneant, & pro eo reſpondeant: quos pie ac decenter aſſiſtere, ac, prout opus fuerit, pro baptizando reſpondere ad interrogationes admoneat.*

*Et quoniam iis, qui baptizantur, tanquam Dei filiis in Chriſto regenerandis, & in ejus militiam adſcribendis, nomen imponitur, curet, ne inania Deorum, aut ethnicorum hominum, ſed potius, quatenus fieri poteſt, Sanctorum nomina imponantur, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, & patrociniis protegantur.*

*His igitur expeditis baptizans ad baptiſmum procedat, & Patrinum de nomine, ſuper brachium dexterum illius poſiti, in hunc modum nominatim interroget.*

*Sacerdos.* Quomodo vocandus eſt infans iſte? *vel ſi Patrinus ignorat linguam latinam, germanice ſic interroget:* Wie ſoll das Kind heiſſen? *vel* Koku ſe ima imenuate tu dette? *Patrinus* ℟. N. vel N.

*Sacerdos.* N. *exprimitur nomen infantis.* Quid petis ab Eccleſia Dei? *vel* Was begehreſt du von der Kirchen GOttes? *vel* Kai ſheliſh od te Zirkue Boshje? *Patrinus* ℟. Fidem. Den Glauben. To viro.

*Sacerdos.* Fides quid tibi præſtat? *vel* Was gibt dir der Glauben? *vel* Kaj tebi da ta vira? *Patrinus* ℟. Vitam æternam, *vel* das ewige Leben, *vel* to vezhnu shivlejne.

*Sacerdos.* Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum.

*Deinde ter exſufflet leniter in faciem infantis, & dicat ſemel:* exi ab eo

(vel

( vel ea ) immunde ſpiritus, & da locum Spiritui paraclito.

*Poſtea pollice faciat ſignum crucis in fronte, & pectore infantis, dicens:* accipe ſignum crucis, tam in fronte † quam in corde †, ſume fidem cœleſtium præceptorum, & talis eſto moribus, ut templum Dei jam eſſe poſſis.

## Oremus.

Preces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi; & hunc electum tuum N. crucis dominicæ impreſſione ſignatum perpetua virtute cuſtodi, ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Deinde imponat manum ſuper caput infantis, ac dicat.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es; omnem cœcitatem cordis ab eo expelle; diſrumpe omnes laqueos Sathanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Deinde Sacerdos benedicat ſalem, qui ſemel benedictus alias ad eundem uſum deſervire poteſt.*

## Benedictio Salis.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei Patris omnipotentis † & in charitate Dei noſtri JEſu Chriſti, †

ſti†, & in virtute Spiritus ſancti †, exorcizo te per Deum vivum†, per Deum verum†, per Deum ſanctum†, per Deum, † qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit, ut in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noſter, ut hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices†, & benedicendo benedicas†, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine ejusdem Domini noſtri JEſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

*Deinde immittat medicum ſalis benedicti in os infantis, dicens:* N. accipe ſalem ſapientiæ: propitiatio ſit tibi in vitam æternam. ℟. Amen. *Sacerdos.* Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus Patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens. Perduc eum Domine, quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Exorcizo te immunde ſpiritus in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus ſancti †, ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo

Deo vivo, & vero, da honorem JEſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui ſancto: & recede ab hoc Famulo Dei N. quia iſtum ſibi Deus, & Dominus noſter JEſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemque baptiſmatis vocare dignatus eſt.

*Hic pollice in fronte ſignat infantem dicens:*

Et hoc ſignum ſanctæ crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Mox imponit manum ſuper caput infantis, & dicit:*

Oremus.

Æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris

eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum, & ſanctifica: da ei ſcientiam veram, ut dignus gratia baptiſmi tui effectus, teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam. Per Chriſtum Dominum noſtum. ℟. Amen.

*Poſtea Sacerdos imponit extremam partem ſtolæ ſuper infantem, & introducit eum in Eccleſiam, dicens:*

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Chriſto in vitam æternam. ℟. Amen.

*Cum fuerint Eccleſiam ingreſſi, Sacerdos procedens ad fontem cum ſuſceptoribus conjunctim clara voce dicit:*

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ. Et in JEſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine: paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus,

&

& ſepultus. Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum; ſanctam Eccleſiam catholicam; Sanctorum communionem; remiſſionem peccatorum: carnis reſurrectionem: & vitam æternam. Amen.

Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: & ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos a malo. Amen.

*Vel germanice dicat:* Sprecht mit mir den chriſtlichen catholiſchen Glauben, ſamt dem heiligen Vater unſer.

Ich glaube in Gott Vater, allmächtigen Schöpfer Himmels und der Erden. Und in JEſum Chriſtum, ſeinen einigen Sohn, unſern HErrn. Der empfangen iſt von dem heiligen Geiſt. Gebohren aus Maria der Jungfrau. Gelitten unter Pontio Pilato, gecreuziget, geſtorben, und begraben. Abgeſtiegen zu der Höllen; am dritten Tag wieder auferſtanden von den Todten. Aufgefahren zu den Himmeln, ſitzet zu der Rechten GOttes des allmächtigen Vaters. Von dannen er kommen wird zu richten die Lebendigen und die Todten. Ich glaube in den heiligen Geiſt: Eine heilige allgemeine chriſtliche Kirche: Gemeinſchaft der Heiligen: Ablaß der Sünden: Auferſtehung des Fleiſches: und ein ewiges Leben. Amen.

Vater unſer, der du biſt in den Himmeln. Geheiliget werde dein

dein Namen. Zukomme uns dein Reich. Dein Will geſchehe, wie in Himmel, alſo auch auf Erden. Gieb uns heut unſer tägliches Brod. Und vergieb uns unſere Schulden, als auch wir vergeben unſeren Schuldigern. Und führe uns nicht in die Verſuchung; ſondern erlöſe uns von dem Ubel. Amen.

*Vel Carniolice dicat:*

Jeſt virjem v' Boga Ozheta uſigamogozhniga ſtvarnika nebeſs inu semle. Inu v' JEſuſa Chriſtuſa Synu niega ediniga, Goſpuda nashiga; kir je ſpozhet od ſvetiga Duha, rojen is Marie Divize, terpou pod Pontiam Pilatusham, krishan, umerou, v' grob poloshen. Doli je ſhou h' peklam, na treti dan ſpet gori uſtou od mertvih; gori je ſhou v' nebeſſa, ſedy na deſnizi Boga Ozheta uſigamogozhniga: od unod ima priti ſoditi te shive, inu mertve. Jeſt virjem v' ſvetiga Duha: eno ſveto cathol-

tholſhko Zirkou: gmaino teh Svetnikou: odpuſhaine teh grehou; vſtajajne tega meſſa: inu vezhnu ſhivlejne. Amen.

Ozhe naſh, kir ſi v' nebeſſih. Poſvezhenu bodi tvoje Ime. Pridi k' nam tvoje kraleſtvu. Isydiſe tvoja vola, koker na nebu taku na semli. Dej nam dones naſh uſakdajne kruh. Inu nam odpuſti naſhe douge: koker my odpushamo naſhim doushnikam. Inu naſh naupelaj v' ſkushnavo. Temuzh naſs reshi od slega. Amen.

*Quibus peractis ſurgunt, & baptizans antequam accedat ad Baptiſterium, dicat:*

## Exorciſmus.

Exorcizo te, omnis ſpiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis †, & in nomine JEſu Chriſti Filii ejus, Domini & Judicis noſtri †,

ſti†, & in virtute Spiritus ſancti †, ut diſcedas ab hoc plasmate Dei N. quod Dominus noſter ad templum ſanctum ſuum vocare dignatus eſt, ut fiat templum Dei vivi, & Spiritus ſanctus habitet in eo. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

*Poſtea Sacerdos digito accipiat de ſaliva oris ſui, & tangat aures & nares infantis: tangendo vero aurem dexteram, & ſiniſtram, dicat:*

Epheta, quod eſt adaperire: *deinde tangat nares dicens:* in odorem ſuavitatis: (*& ſubdit:*) tu autem effugare diabole; appropinquabit enim judicium Dei.

*Poſtea interrogat baptizandum nominatim, dicens:* N. abrenuncias Sathanæ? *vel* Widerſagſt du dem Teufel? *vel* ſe odpoveſh temu hudizhu?
℟. *Patrinus:* Abrenuncio, *vel* ich widerſage, *vel* jeſt ſe odpovem.

 *Sa-*

*Sacerdos.* Et omnibus operibus ejus? *vel* und allen ſeinen Werken? *vel* Inu uſemu njegovimu diainu? ℟. Abrenuncio, *vel* ich widerſage, *vel* jeſt ſe odpovem.

*Sacerdos.* Et omnibus pompis ejus? *vel* Und aller ſeiner Hofart? *vel* Inu uſemu njegovimu napuhu? ℟. Abrenuncio, *vel* ich widerſage, *vel* jeſt ſe odpovem &c.

*Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo catechumenorum (cujus capſula eſt ſignata littera S., qua indicatur ſacrum oleum catechumenorum) & infantem ungit in pectore, & inter ſcapulas in modum crucis dicens:*

Ego te linio † oleo ſalutis, in Chriſto † JEſu Domino noſtro, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

*Subinde pollicem, & inuncta loca abſtergit bombacio, vel re ſimili, deponit ſtolam violaceam, & aſſumit aliam albi coloris, & interrogat expreſſo nomine baptizandum, patrino reſpondente.*

Sa-

*Sacerdos*. N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ? *vel* glaubeſt du in Gott Vater allmächtigen Schöpfer Himmels und der Erden? *vel* virjeſh ti v' Boga Ozheta uſigamogozhniga, ſtvarnika nebeſs, inu semle. ℟. Credo, *vel* ich glaube, *vel* jeſt virjem.

*Sacerdos*. Credis in JEſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum? *vel* glaubeſt du in JEſum Chriſtum ſeinen einigen Sohn, unſeren HErrn JEſum Chriſtum, der gebohren iſt, und gelitten hat? *vel* virjeſh ti v' Jeſuſa Chriſtuſa Synu niega ediniga, kir je rojen biu, inu je terpou? ℟. Credo, *vel* ich glaube, *vel* jeſt virjem.

*Sacerdos*. Credis in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam? *vel* Glaubeſt du in den heiligen Geiſt, eine heilige

lige allgemeine chriſtliche catholiſche Kirche, Gemeinſchaft der Heiligen, Ablaß der Sünden, Auferſtehung des Fleiſches, und ein ewiges Leben? *vel* virjeſh ti v' ſvetiga Duha, eno ſveto catholshko Zirkou: gmaino teh Svetnikou: odpuſhaine teh grehou, uſtajajne tega meſſa, inu vezhnu ſhivleine? ℟. Credo, *vel* ich glaube, *vel* jeſt virjem.

*Subinde expreſſo nomine baptizandi, ter Sacerdos interrogat.* N. Vis baptizari? *vel* willſt du getaufet werden? *vel* ozhesh ti kershen biti? ℟. *Patrinus*: volo, *vel* ich will, *vel* ozhem.

*Quærat denique Sacerdos, an propter periculum evitandum circa baptiſmum infantis aliquid attentatum ſit a quopiam? Et ſi reſpondeatur, nihil ejusmodi factum, tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque (ſi ambo admittantur) infantem ſupra dextram tenente, Sacerdos vaſculo, ſeu urceolo accipit aquam baptiſmalem, & de ea ter fundit ſupra caput infantis in modum*

*dum crucis; ſimul verba proferens, ſemel tantum diſtincte, & attente dicit:*

N. Ego te baptizo in nomine Patris † *fundat primo*, & Filii † *fundat ſecundo*, & Spiritus † ſancti, *fundat tertio.* ℟. Amen.

*Si vero dubitatur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma.* N. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris † & Filii, † & Spiritus ſancti. ℟. Amen.

*Deinde intingit pollicem in ſacro Chriſmate (cujus capſula eſt ſignata littera C. ſignificando ſacrum Chriſma, & ungit infantem in ſummitate capitis in modum crucis, dicens:*

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, (*hic inungit*) ipſe te liniat Chriſmate ſalutis † in eodem Chriſto JEſu Domino noſtro in vitam æternam. ℟. Amen.

*Sa-*

*Sacerdos.* Pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

*Tum bombacio, aut re ſimili abſtergit pollicem ſuum, & locum inunctum; tum imponit capiti ejus linteolum candidum loco veſtis albæ, dicens:*

Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri JEſu Chriſti, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

*Poſtea dat ei, vel Patrino candelam accenſam, dicens:*

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi baptiſmum tuum. Serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula cœleſti, habeasque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

*Si plures ad baptiſmum afferantur, ſive maſculi ſive fæminæ, in catechiſmo maſculi ſtatuantur a dexteris, fæminæ vero a ſiniſtris, & omnia dicantur ut ſupra in numero plurali & ge-*

*nere*

*nere proprio. Verum prima nominis interrogatio, exſufflatio, crucis impreſſio ſeu ſignatio, contactus aurium & narium cum ſaliva, abrenunciationis interrogatio, unctio olei catechumenorum, interrogatio de fide ſeu ſymbolo, & ipſe Baptiſmus, inunctio chriſmatis, candidæ veſtis impoſitio, atque accenſæ candelæ traditio, ſingulariter & ſingulis; primum maſculis, deinde fæminis fieri debent.*

*Si infantibus bapizandis periculum immineat, ne, antequam baptiſmus perficiatur, moriantur, Sacerdos omiſſis, quæ baptiſmum præcedunt, eos baptizet, ter vel etiam ſemel affundens aquam ſuper caput eorum in modum crucis, dicendo:*

Ego te baptizo in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † ſancti. ℟. Amen.

*Si non adſit ad manus aqua baptiſmalis & periculum immineat, accipiatur aqua alia ſimplex & munda.*

*Deinde ſi habetur Chriſma, liniatur in vertice dicendo:* Deus omnipotens, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti &c. *ut ſupra fol. 137.*

*Poſtea circumdetur linteolo candido dicendo:* accipe veſtem candidam &c. *ut ſupra fol. 138.*

*Denique porrigatur candela accenſa illis verbis:* Accipe lampadem ardentem &c. *ut ibidem.*

*Si ſupervixerit ſuppleantur alii ritus omiſſi ſupra notati.*

*Expleto baptiſmo lavet manus Sacerdos ſuper pelvim ſale & aqua, præſertim pollicem, quo in unctionibus eſt uſus; & aqua ex lotione excepta effundatur in locum ſacrum.*

*Moneantur præterea ſuſceptores de ſpirituali cognatione, quam contrahunt cum baptizato, & baptizati patre, ac matre, quæ cognatio matrimonium impedit, & dirimit.*

*Inculcandum etiam eſt parentibus, ne in lecto ſecum infantes vel ipſi, vel nutrices habeant ob periculum oppreſſionis,*

*nis, quæ in utraque Diæceſi Goritienſi & Labacenſi eſt caſus reſervatus Epiſcopo; ſed eum ſedulo cuſtodiant, pie educent, & ad chriſtianam diſciplinam opportune inſtituant.*

*Denique curet diligenter, ut, antequam infans ex Eccleſia aſportetur, aut ſuſceptores inde diſcedant, eorum nomina & alia juxta recens præſcriptam formam in baptiſmali libro, ne oblivioni tradantur, adſcribat.*

## In Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ obſervanda.

*Sacerdos ſufficienti ſcientia, prudentia ac jurisdictione inſtructus, approbatusque cum ad adminiſtrandum populo Sacramentum pœnitentiæ vel ſponte accedit, vel ex munere ſuo ac obligatione evocatur; meminerit, non ſolum quam ſanctum munus, ſed etiam quam grave onus ſibi, tanquam divinæ juſtitiæ ſimul & miſericordiæ miniſtro,*

in-

*incumbat, ad quod recte ſancteque obeundum ſingulari Dei opus habet auxilio, quod proinde, ſi tempus ſuppetit, nunquam ante illud piis precibus implorare omittat.*

## ORATIO.

*Cum bona intentione a Sacerdote dicenda ante adminiſtationem Sacramenti Pœnitentiæ.*

Domine JEſu Chriſte, hoc ſacrum Pœnitentiæ Sacramentum ea, qua par eſt, pura intentione adminiſtrare volo cum amore illo, quo illud inſtituiſti, ſanctificaſti, ac ipſe adminiſtraſti, & ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus adminiſtrari voluiſti, ad laudem Dei Patris & ad ſalutem totius generis humani, rogans: ut in unione illius amoris tui tam mihi, quam omnibus ac ſingulis, quibus illud miniſtrabo, cedat in augmentum ſalutis, gratiæ, & beatitudinis æternæ. Spiritus ſancti gra-

tia

tia me illuminet, ut recte judicem, ſalutarem doctrinam & pœnitentiam adjungam, & juxta tuum ſummum beneplacitum hoc ſacroſanctum miniſterium perficere, & ab omni ſcandalo & tentationum incurſu præmuniri, & præſervari merear. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

*Invocato igitur divino numinis auxilio, cum Sacerdos ad excipiendas confeſſiones vocatur, promtum ſe ac facilem præbeat. Sciat inſuper cenſuras omnes & caſus non ſolum Sedi apoſtolicæ, ſed etiam Epiſcopis in genere, tum vero maxime Ordinario ſuæ Diœceſis in particulari reſervatos, nec minus ſuæ cujusvis Eccleſiæ conſtitutiones: hæc diligenter relegendo memoria teneat, & exacte obſervet.*

*In templo, non autem in privatis ædibus confeſſiones audiat, niſi ex cauſa rationabili: quæ cum inciderit, ſtudeat tamen id in decenti ac patenti loco præſtare.*

*Habeat in templo ſedem confeſſionalem, in qua ſacras pœnitentium confeſſiones excipiat: quæ ſedes in patente, conſpicuo, & apto templi loco poſita, & crate perforata inter pœnitentem ac Sacerdotem ſit inſtructa.*

*Superpelliceo & violaci coloris ſtola utatur, prout tempus & locorum feret conſuetudo.*

*Pœnitens, ſi opus fuerit, admoneatur, ut, qua decet, humilitate mentis & habitus accedat, flexisque genibus, ſigno crucis ſe muniens, confeſtim benedictionem a confeſſario hoc modo petat.*

Benedicite Reverende Pater! ut omnia mea peccata rite & integre confiteri valeam.

*Germanice:* Ehrwürdiger Vater! ich bitte Euch um den heiligen Segen, damit ich alle meine Sünden recht und vollkommen beichten könne.

*Carniolice:* Duhouni Ozha! jeſt nieh proſim sa ta ſveti ſhegen, de

bi

bi ſe mogou prou inu popounema ſpovedati uſih mojih grehou.

*Petitam hanc benedictionem Confeſſarius pœnitenti ita impertiat:* Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis, ut digne & competenter confitearis omnia peccata tua, in nomine † Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

*Obtenta benedictione pœnitens dicat confeſſionem generalem hoc rurſus modo:* Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ ſemper Virgini, omnibus Sanctis, & tibi Reverende Pater; quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere: demum ab ultima mea confeſſione, quam ante N. dies, hebdomadas &c. peregi, me accuſo &c.

*Germanice:* Ich armer ſündiger Menſch beichte, und bekenne Gott dem allmächtigen, ſeiner hochwürdigen Mutter, und allen lieben Heiligen Gottes, und Euch Prieſter, anſtatt Gottes, und klage mich an von meiner letzten Beicht,

welche geſchehen iſt vor N. Tagen, Wochen ꝛc., daß ich oft und viel geſündiget habe mit Gedanken, Worten, und Werken; ſonderlich aber gebe ich mich ſchuldig ꝛc.

*Carniolice:* Jeſt bogi greſhni zhlovek ſe ſpoveim Bogu uſigamogozhnimu, Mariji Divizi, uſim Svetnikam, inu niem, duhouni Ozha, nameiſtniku boſhjimu od moje ſadne ſpovedi, per kateri ſim biu pred N. dnevam, nedelam &c. inu ſe doušhan dam, de ſim supet mojga Boga reshaliu, is mislim, beſedam, inu diajnam, ſuſebnu pak is tim greihmi &c.

*Dum pœnitens peccata ſua confitetur, adjuvabit eum, quotieſcunque opus fuerit; nec eum reprehendet, niſi finita confeſſione; neque interpellabit, niſi neceſſarium fuerit ad aliquid melius intelligendum; qualia ſunt: cujus ſit ſtatus, niſi aliunde notus ſit: quando ultimo, & an rite ac integre tunc & alias ſit confeſſus: an impoſitam pœni-*

ten-

*tentiam impleverit: an conſcientiam ſuam prius debite ac diligenter dicuſſerit &c. Proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter ſuggerat, ut omnia ſua peccata rite & integre confiteatur, remota ſtulta illa quorundam verecundia, qua præpediti, ſuadente diabolo, peccata confiteri non audent.*

*Hinc ſi pœnitens numerum, ſpecies, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget.*

*Sed caveat, ne curioſis aut inutilibus quæſtionibus quemquam detineat; præſertim juniores utriusque ſexus, vel alios de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne ſcandalum patiantur, indeque peccare diſcant.*

*Si vero, pro perſonarum qualitate, confeſſarius cognoverit, pœnitentem ignorare chriſtianæ fidei rudimenta; ſi tempus ſuppetat, eum breviter inſtruat de fidei articulis, & aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis, & ignorantiam il-*

*lius corripiat, illumque admoneat, ut ea poſtmodum diligentius addiſcat.*

*Demum audita confeſſione, perpendens peccatorum, quæ ille admiſit, magnitudinem & multitudinem, pro eorum gravitate ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibebit; & ad dolorem & contritionem efficacibus eum verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius inſtituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.*

*Poſtremo ſalutarem & convenientem ſatisfactionem, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, injungat, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis, & item diſpoſitionis pœnitentium. Videat, ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat; ne, ſi forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum ipſe particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut ſatisfactio non ſit tantum ad vitæ novæ remedium, &*

*infir-*

*infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum caſtigationem.*

*Quare curet, quantum fieri poterit, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat; velut avaris elemoſinas, libidinoſis jejunia vel alias carnis afflictationes, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia. Rarius vero vel ſerius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſæpe, puta ſemel in menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, &, ſi expediat, communicent.*

*Pœnitentias pecuniarias nec facile imponat confitentibus, minus vero eas ſibi ipſi applicet; neque ab iiſdem quidquam, tanquam miniſterii ſui præmium, exigat, aut accipiat.*

*Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus manifeſtam pœnitentiam non imponat.*

*Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio: ne-*

*ve abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces: quales ſunt, qui aliquibus cenſuris vel caſibus reſervatis ſunt ligati, a quibus eos ipſe vel ſimpliciter, vel niſi obtenta prius a ſuperiore facultate, abſolvere non poſſit; qui nulla vel inſufficientia doloris ſigna dant: qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata relinquere, & vitam in melius emendare nolunt: aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant &c.*

*Si quis vero confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus peccatis & cenſuris, quantumvis reſervatis (ceſſat enim tunc omnis reſervatio;) ſed prius, ſi poteſt, ut debet, ſatisfaciat; ac, ſi periculum evaſerit, & aliqua ratione ſuperiori a quo alias eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primum poterit, coram eo ſe ſiſtat, quidquid debet præſtiturus.*

*Quod*

*Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox vel loquela ægrum deficiat, nutibus & ſignis conetur, quantum fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcunque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.*

*Meminerit porro Sacerdos ægris non eſſe injungendam gravem aut laborioſam pœnitentiam, ſed indicendam tantum illam, quam, ſi convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim uxta gravitatem morbi aliqua oratione vel levi ſatisfactione impoſita & acceptata abſolvantur, prout opus fuerit.*

*Peracta hoc modo confeſſione, pœnitens his aut ſimilibus verbis eam concludat:*

De his & omnibus totius vitæ meæ peccatis tam notis, quam ignotis doleo ex toto corde, quod Deum, ſummum & infinitum bonum, omni amore digniſſimum, quem ſuper om-

nia amo, offenderim: propono cum divina ejus gratia ſeriam vitæ emendationem; quare oro pro ſalutari pœnitentia & abſolutione.

*Germanice:* Dieſe und alle meines ganzen Lebens mir bewuſte, und unbewuſte Sünden reuen mich von ganzen Herzen, daß ich Gott, das höchſte und unendliche Gut, den über alles liebe, beleidiget habe; ich nehme mir für, mit der göttlichen Gnad mein Leben ernſtlich zu beſſeren: derohalben bitte ich um eine heilſame Buß und Losſprechung.

*Carniolice:* Leti inu uſi moji videozhi, inu navideozhi grehi me is zeliga ſerza grevajo, de ſim Boga to naisgruntano dobruto, kateriga is ſerza lubim, reshalou: jeſt ſi terdnu naprei usamem, is niegovo ſveto gnado nigdar vezh Boga reshaliti; inu proſim sa ſveto pokuro, inu ſveti abſolution.

*Con-*

*Confeſſarius igitur pœnitentem abſoluturus, injuncta ei prius & acceptata ab eo ſalutari pœnitentia, primo dicat:*

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

*Deinde dextera verſus pœnitentem elevata dicit:*

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Dominus noſter JEſus Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate illius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, (*quæ vox, ſi ſit laicus, omittitur*) & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges. Deinde ego te abſolvo a peccatis tuis. In nomine † Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

Paſſio Domini noſtri JEſu Chriſti, merita beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid

boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

*In Confeſſionibus frequentioribus & brevioribus omitti poteſt:* Miſereatur &c. *& ſatis erit dicere:* Dominus noſter JEſus Chriſtus &c. *ut ſupra uſque ad illud:* Paſſio Domini noſtri &c.

*Urgente autem aliqua gravi neceſſitate, in periculo mortis, omiſſis aliis, ſolum dicat:* ego te abſolvo a peccatis tuis. In nomine † Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

*Si vero præterea Sacerdoti commiſſa fuerit facultas abſolvendi aliquem a ſuſpenſione vel interdicto, quamvis nulla verba ſint præcipue determinata, uti poterit hac formula vel intra, vel extra ſacramentalem confeſſionem.*

*Pœnitens dicat:* Confiteor Deo &c.

*Sacerdos.* Miſereatur &c. Indulgentiam &c.

Authoritate mihi, ab N. N. tradita. Ego te abſolvo a vinculo ſuſpen-

ſpenſionis, (*vel* interdicti) quam, (*vel* quod) propter *tale factum*, (*vel cauſam*) incurriſti, (*ſeu* incurriſſe declaratus es). In nomine Patris †, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

*Si habuerit poteſtatem diſpenſandi ſuper irregularitate, poſt abſolutionem peccatorum addat.*

Et eadem auctoritate diſpenſo tecum ſuper irregularitate (vel irregularitatibus) in quam (vel in quas) *ob talem, vel tales cauſas* incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum. In nomine Patris † & Filii, &c.

*Si nullum habeat ordinem dicat:*

Habilem reddo te ad omnes ordines ſuſcipiendos. *Vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati.*

*Si neceſſe ſit titulum beneficii reſtituere, & fructus male perceptos condonare, ſubjungat.*

Et reſtituo tibi titulum, ſeu titulos beneficii, ſeu beneficiorum, &

 con-

condono tibi fructus male perceptos. In nomine Patris †, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

*Surgens ex conſcientiæ tribunali Sacerdos, quemadmodum ante, ita & poſt ſacramentale hoc miniſterium Deo ſe rurſus commendet; pro divino, quod ipſi largiri dignatus eſt, auxilio gratias agat, & laborem hunc ſpiritualem eidem offerat.*

## ORATIO

### *Poſt exceptas Confeſſiones.*

Domine JEſu Chriſte, Fili Dei vivi! ſuſcipe hoc obſequii mei miniſterium amore illo, quo beatam Mariam Magdalenam, omnesque ad te confugientes peccatores abſolviſti. Et quidquid in Sacamenti hujus adminiſtratione negligenter, minusque digne egi, tu per tuam infinitam miſericordiam ſupplere, & ſatisfacere digneris. Omnes & ſingulos, qui modo confeſſi ſunt, commendo dulciſſimo cordi tuo, & oro, ut

eosdem cuſtodias, a peccatorum recidiva præſerves, atque poſt hujus vitæ miſerias tecum ad gaudia perducas æterna. Amen.

## In Adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ obſervanda.

*Sacerdos ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtraturus, hoſtiis ſeu particulis pro populi multitudine conſecratis, quorum ſemper aliquot eo numero, qui infirmorum ſuorum aliorumque fidelium communioni ſatis eſſe poſſit, in pyxide ex argento, vel alia decenti materia, eaque munda, & ſuo operculo bene clauſa, albo velo cooperta, &, quantum res fert, ornata, in tabernaculo clave obſerato conſervet; præterea vaſculo uno vel pluribus, decenti & commodo loco expoſitis, cum vino & aqua ad purificationem eorum, qui communionem ſumpſerint, & ante eos linteo mundo extenſo, lotis prius manibus, ſuperpelliceo ac deſuper ſto-*

*la coloris, officio illius diei convenientis, indutus, præcedente miniſtro, ſeu clerico ſeu alio, procedit ad altare junctis manibus, & accenſis cereis; facta prius & poſtea genuflexione, extrahit pyxidem, & illam ſuper corporale depoſitam diſcooperit, miniſter genibus flexis, nomine populi ad cornu Epiſtolæ facit confeſſionem generalem dicens:*

Confiteor Deo. &c.

*Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus junctis ante pectus vertit ſe ad populum, (advertens ne terga vertat Sacramento), & in cornu Evangelii dicit:*

Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, abſolutionem, † & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. ℟. Amen. *Manu dextera ſignat in formam crucis communicandos.*

*Dein:*

*Deinde ad Altare ſe convertit, genufleĉtit, manu ſiniſtra pyxidem apprehendit, & duobus digitis, pollice & indice, Sacramentum accipit, & elevat, converſusque ad populum in medio altari dicit clara voce:*

Ecce agnus Dei! ecce, qui tollit peccata mundi! *mox ſubdit:* Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea.

*Germanice:* Sehet an das Lamm Gottes! ſehet, welches hinnimt die Sünde der Welt! O Herr! ich bin nicht würdig, daß du eingeheſt unter mein Dach, ſondern ſprich nur ein Wort, ſo wird geſund meine Seele.

*Carniolice.* Pollete to Jagne Boshje! pollete kir uſiga ſveita grehe odjemle! O Goſpud jeſt niſim ureden, de ti gredeſh pod mojo ſtreho, temuzh reze le eno beſedo, toku bode oſraulena moja duſha.

*Quod iterum, ac tertio repetit: qua formula etiam utendum eſt, cum fœminis communio miniſtratur.*

*Poſtea ad communionem diſtribuendam accedit, incipiens ab iis, qui ſunt ad partem Epiſtolæ.*

*Si Sacerdotibus aliquando, vel aliis ex clero danda ſit communio, iis primo ad gradus altaris genuflexis præbeatur; & ſi commode fieri poteſt, ſint a laicis intra ſepimentum altaris diſtincti: Sacerdotesque ſuperpelliceo & ſtola induti communionem percipiant.*

*Sacerdos unicuique Sacramentum porrigens, faciat cum eo ſignum ſuper pyxidem, & ſimul dicat:*

Corpus Domini † noſtri JEſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

*Ubi vero omnes communicaverit, Sacerdos reverſus ad altare, dicere poterit:*

O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſ-

paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis.

℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

*Tempore Paſchali additur:* Alleluja.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemtionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas &c.

*Tem-*

*Tempore vero Paſchali dicitur :*

Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde: ut quos Sacramentis paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Chriſtum Dominum. Amen.

*Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut ſi aliquod fragmentum digitis adhæſerit, illud in pyxidem deponat, & eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum abluat, & abſtergat purificatorio; ablutionem vero vel ſumat, ſi celebraverit, vel iis, qui tunc communicarunt, ſumendam tradat, vel in ſacrarium dejiciat.*

*Poſtea genufleᴇens reponit Sacramentum in tabernaculo, & clave obſerat; ac extenta manu dextera benedicit iis, qui communicarunt, dicens:*

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii † & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. ℟. Amen.

*Communio autem populi intra miſſam ſtatim poſt communionem Sacerdotis fieri debet, (niſi quandoque ob populi multitudinem, aut alia rationabili de cauſa poſt miſſam ſit facienda,) cum orationes, quæ in miſſa poſt communionem dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicantes ſpectent.*

*Itaque Sacerdos ſumpto ſanctiſſimo ſanguine, antequam ſe purificet, ponat particulas conſecratas in pyxide, vel, ſi pauci ſint communicandi, ſuper patenam, niſi principio poſitæ jam fuerint in pyxide; tum genuflectit, & miniſtro interim dicente confeſſionem generalem:* Confiteor &c. *eo prorſus modo procedit, & communionem diſtribuat, quo ſupra dictum eſt.*

*Finita communione revertitur ad altare, nihil dicens, & non dat illis benedictionem, daturus eandem in fine miſſæ. Deinde dicit ſecreto:* Quod ore ſumpſimus, &c. *ut in miſſali: ſe purificat, & miſſam abſolvit.* Quod

*ſi*

*ſi contingat abſoluta miſſa aliquos interdum eſſe communicandos, tunc Sacerdos adhuc planeta indutus, ſacram communionem eo modo, quo ſupra notatur, illis miniſtrabit.*

## In Adminiſtratione ejusdem Sacramenti infirmis obſervanda.

*Quemadmodum omni cura & diligentia invigilandum eſt Parocho, ne quis ipſius incuria viatico ſacratiſſimi corporis Domini noſtri JEſu Chriſti, tanto ſcilicet bono privatus decedat, ita ſummopere eidem cavendum eſt, ne illud indignis, & publicis peccatoribus cum aliorum ſcandalo miniſtret, niſi prius ſacra confeſſione purgati, publicæ offenſioni, prout de jure eſt, ſatisfecerint.*

*Hortetur autem Parochus infirmos, ut ſacram communionem ſumant, etſi graviter non ægrotent, aut mortis periculum non immineat, maxime ſi feſti ali-*

*alicujus celebritas immineat ; neque ipſe eam miniſtrare , quoad fieri poterit , recuſet.*

*Pro viatico autem illam miniſtrabit , cum probabile eſt, quod eam amplius ægrotus ſumere non poterit.*

*Quod ſi autem æger , ſumpto viatico, aliquot adhuc dies ſupervixerit , vel periculum etiam mortis evaſerit, & communionem devotionis cauſa petierit , ejus pio deſiderio Parochus non deſit.*

*Quamvis vero viaticum dari poteſt non jejunis ; id tamen diligenter cavendum eſt, ne iis, apud quos ob phrœneſim, aſſiduam tuſſim, faucium nimiam ariditatem , illudque per guttur in ſtomachum demittendi impotentiam, continuatum vomitum, aliumque ſimilem morbum aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri poteſt , porrigatur. Cæteris autem infirmis, qui ſolius devotionis cauſa communicant , non niſi jejunis , quemadmodum cæteris fidelibus dandum eſt , quibus etiam nec per modum medicinæ aliquid ante ſumere licet.*

De-

*Deſerri autem debet hoc Sacramentum ab Eccleſia ad domos ægrotantium, quantum fieri poteſt, & rerum circumſtantiæ admittunt, a Sacerdote induto ſuperpelliceo mundo & ſtola alba, manifeſte cum omni reverentia, præcedente ſemper lumine & ædituo cum campanula, quam per vices pulſet, quique pariter, vel alter burſam, cum corporali ſanctiſſimo Sacramento ſupponendo, cum purificatorio ad digitos Sacerdotis abſtergendos, & libro rituali deferat; & niſi longius & dificilius iter ſit faciendum, ſique locus ipſe & tempus admittat; videat, ut ſanctiſſimum Sacramentum plures ex aliqua confraternitate, ſi habeatur, aut ex aliis piis Chriſti fidelibus vexilla, laternas, vel cereos, & umbellam ſeu baldachinum, ubi haberi poteſt, deſerentibus, comitentur: ad quod ſemper aliquo æris campani ſigno Parochianos convocari jubeat; ipſe vero defluente ab utroque humero oblongo & albo velo, accipiat vas cum Sacramento utraque*

*manu,*

*manu, umbellam ſeu baldachinum ſubeat, nudo capite procedat, & roſarium vel aliud quidpiam pii populo præoret, aut præcinat.*

*Quod ſi longius aut dificilius iter ſubeundum ſit, vel fortaſſe etiam equitandum, neceſſe erit vas, in quo Sacramenum defertur, burſa albi coloris decenter ornata & ad collum appenſa, apte includere, & ita ad pectus alligare, atque obſtringere, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat.*

*Denique præmoneat, ut ægri cubiculum, quantum fieri poterit, mundetur, & in eo paretur menſa linteo mundo cooperta, in qua ſanctiſſimum Sacramentum decenter deponatur. Supra menſam intra duos cereos ardentes poſita ſit imago Crucifixi; ad manus etiam habeatur linteum mundum ante pectus communicaturi ponendum, aqua benedicta, vinum pro ablutione, aqua, vas, & mantile pro abluendis exter-*

gen-

*gendisque digitis Sacerdotis, atque alia ad ornatum loci pro cujusque facultate.*

*Ingrediens itaque locum Sacerdos, ubi jacet infirmus, dicat:* Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

*Tum depoſitum Sacramentum ſuper menſa, ſuppoſito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, & mox accepta aqua benedicta aſpergit infirmum & cubiculum, dicens Antiphonam:*

Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor: *& primum verſum Pſalmi.* Miſerere mei Deus. Cum Gloria Patri. Sicut erat, &c.

*Deinde repetitur Antiphona.* Aſperges me, &c. *Poſtea* ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Exaudi nos Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*His peractis accedat ad infirmum, & ipſum brevibus verbis ac ſuavibus ad hanc divinæ viſitationis gratiam excitet, & ad peccatorum contritionem, ac reconciliationem, ( ſi quæ illi poſt confeſſionem peccata confitenda in mentem venirent ) & ad patientiam, melioriſque vitæ frugem exhortetur; & inquirat, an ſit excommunicatus, an injuſte aliquid poſſideat, an habeat debita occulta? an ſit votis aut peregrinationibus obnoxius. Deinde blande & leniter infirmum alloquatur, admoneatque illum ad patientiam, rogetque, ſi quem adhuc conſcientiæ ſcrupulum habeat? ſi ſic: illum iterato audiat, &*

*abſolvat, nec non ipſum inducat, ut ab ibi præſentibus fieri pro ſe preces petat, rogetque in genere, quos offendere vel verbo vel facto potuit, veniam: ſpecialiter vero accedere jubeantur, qui de familia aut ſanguine illius ſunt, ut ab eo veniam precentur. Quod ſi capitalem aliquam inimicitiam adverſus quempiam gerat, ſtudeat Parochus diſſidentes, quantum in ſe, amice conciliare. Ipſe quoque ægrotus injurias, ſibi forte illatas, ſe dimittere declaret. Poſtea hortetur infirmum, ad devote & cum firma fide ſuſcipiendum corpus Domini ibi præſens; & circumſtantes moneat, ut pro infirmo orent, quatenus ad ſalutem animæ ſuæ poſſit ſumere ſacroſanctum corpus Domini noſtri JEſu Chriſti.*

*Poſtea facta de more confeſſione generali ſive ab infirmo, ſive ejus nomine ab alio Sacerdos dicit:* Miſereatur &c. Indulgentiam, &c.

*Deinde facta genuflexione accipit ſa-*

*ſacramentum de vaſculo, atque illud elevans oſtendit infirmo, dicens:*

Ecce Agnus Dei! ecce! qui tollit peccata mundi.

Sehet das Lamm GOttes! ſehet! welches hinnimmt die Sünde der Welt.

Pollete to jagne Boshje! pollete! kir uſiga ſvejta grehe odjemle.

*Et more ſolito ter dicat:*

Domine! non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea.

O HErr! ich bin nicht würdig, daß du eingeheſt unter mein Dach; ſondern ſprich nur ein Wort, ſo wird geſund meine Seele.

O Goſpud! jeſt niſim ureden, de ti gredeſh pod mojo ſtreho; temezh reze le eno beſedo, toku bode oſraulena moja duſha.

*Et infirmus ſimul cum Sacerdote dicat eadem ſaltem ſemel ſubmiſſa voce; tum Sacerdos dans infirmo Euchariſtiam dicat:* Accipe frater (*vel* ſoror)

viaticum Domini noſtri JEſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat te in vitam æternam, Amen.

*Si vero communio non datur per modum viatici, dicatur more ordinario:* Corpus Domini noſtri JEſu Chriſti cuſtodiat, &c.

*Quod ſi mors immineat, & periculum ſit in mora, tunc dicto,* Miſereatur &c. *prædictis precibus omnibus, vel ex parte omiſſis, ei ſtatim viaticum præbeatur.*

*Poſtea Sacerdos abluit digitos, nihil dicens, & infirmo detur ablutio. Deinde dicat.*

O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Sal-

℣. Salvum fac famulum tuum, *vel* famulam tuam.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum, *vel* eam.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri noſtro (*vel* ſorori noſtræ) ſacroſanctum corpus Domini noſtri JEſu Chriſti Filii tui, tam corpori quam animæ proſit ad remedium ſempiternum: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

## Oremus.

Protege Domine hunc ſamulum tuum (*vel* ſamulam tuam) ſubſidiis, & beatæ Mariæ Virginis patrociniis confidentem, a cunctis hoſtibus redde ſecurum (*vel* ſecuram.)

Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro ſamulo tuo (*vel* ſamula tua) miſericordiæ tuæ implorantes auxilium, ut reddita ſibi ſanitate, in Eccleſia tua gratiarum tibi referat actiones. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, &c.

*Quibus finitis redeat ad ægrotum, ipſumque conſoletur, & inſtruat tali exhortatione, in quantum ſtatus infirmi admittit.*

*Qua finita infirmum aqua benedicta aſpergat, & ſi altera particula Sacramenti ſuperfuerit (ſupereſſe autem ſemper debet, præterquam in caſu longioris itineris, jam dicto) genuflectit, ſurgit, impenſaque ei benedictione cum venerabili Sacramento ad Eccleſiam re-*

*revertitur dicendo privatim in via Pſalmum.* Laudate Dominum de Cœlis, &c. *Vel alios Pſalmos & Hymnos, vel roſarium populo præoret, aut quidpiam pii præcinat, prout loci conſuetudo, tempusque feret. Cumque pervenerit ad Eccleſiam, ponit Sacramentum ſuper altare, adorat; deinde dicit:*

℣. Panem de Cœlo præſtitiſti eis.

℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemtionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas &c.

*Deinde annunciat indulgentias a ſummis Pontificibus conceſſas ſanctiſſimum Sacramentum comitantibus.*

*Poſtea cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat ſignum crucis ſuper populum, nihil dicens. Poſtremo illud in loco ſuo reponat.*

*Quod ſi ob difficultatem aut longitudinem itineris, vel quia ea, qua decet veneratione, Sacramentum ad Eccleſiam commode reportari non poteſt, ſumpta fuerit una tantum particula conſecrata, ut dictum eſt: tunc ea infirmo adminiſtrata, Sacerdos prædictis precibus recitatis, manu benedicit, & una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbella demiſſa, latente pyxide ad Eccleſiam, vel domum quisque ſuam revertatur.*

## In Adminiſtratione Sacramenti Extremæ Unctionis obſervanda.

*Sacerdos hoc Sacramentum ægrotantibus periculoſe decumbentibus, tanquam cœleſtem medicinam, non animæ ſo-*

*ſolum, ſed etiam corpori ſalutarem miniſtraturus diligenter curet, ut illis, quoad fieri poterit, eo tempore adminiſtret, cum mens adhuc integra & ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam ipſi etiam, dum ſacro oleo liniuntur, ſuam fidem & piam animi voluntatem conferre poſſint.*

*Debet autem hoc Sacramentum infirmis tunc ſolum præberi, cum ad annos diſcretionis & rationis uſum pervenerint, & tam graviter ægrotant, ut mortis imminentis periculum prudenter timeatur: iis vero, qui præ nimio ſenio deficiunt, & in diem morituri videntur, etiam ſine alia infirmitate adminiſtretur. Similiter & iis infirmis, qui dum ſana mente & integris ſenſibus illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu ſigna contritionis dederunt; aut ſaltem interpretative deſiderarunt, ſi nimirum chriſtiane vixerunt, etſi deinde linguæ, rationis, aut ſenſuum uſum amiſerunt, nihilominus Sacramentum hoc ex officio, adeoque ſub gravi obli-*

*gatione adminiſtrare tenetur Parochus, & quidem ex communi ſententia ſub mortali, ſi infirmus alioquin ſine ullo alio Sacramento decedere deberet.*

*Si autem periculum immineat, ne infirmus in extremis conſtitutus prius decedat, quam unctiones finiantur; cito ungatur, prætermiſſis aliis, incipiendo ab eo loco:* Per iſtam ſanctam unctionem &c. *ut infra notatur; & ſi adhuc ſupervixerit, poſtea dicantur orationes prætermiſſæ, ſuo loco poſitæ.*

*Si vero, dum ungitur, infirmus moriatur, ultra non procedat, ſed prædictas orationes omittat.*

*Quod ſi dubitet, an vivat adhuc, unctionem proſequatur, ſub conditione pronunciando formam, & addendo:* Si vivis, per iſtam ſanctam unctionem &c.

*Ungi autem debent quinque præcipuæ corporis partes, tanquam ſenſuum inſtrumenta; nempe oculi, aures, os, nares, manus cum pedibus ac renibus; quæ renum unctio tamen in mulieribus*

*hone-*

*honeſtatis cauſa ſemper omittitur; imo etiam in viris, quando infirmus commode & ſine periculo moveri non poteſt. Hinc neque in mulieribus neque in viris alia pars pro renibus ungi debet, ſed ſufficit manus pedesque unxiſſe.*

*Manus vero, quæ reliquis infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur.*

*Hæc aliaque corporis membra, quæ bina ſunt, ungendo Sacerdos caveat, ne, dum alterum ipſorum ungit, Sacramenti formam citius abſolvat, quam utrumque membrum, v.g. utrumque oculum, pedem &c. perunxerit.*

*Si quis autem aliquo membro eſſet mutilatus, v.g. mauu, pede &c. pars loco illi proxima, eadem forma verborum adhibita ungatur.*

*Sacramentum hoc, quemadmodum alia, miniſtrari non debet impœnitentibus aut excommunicatis; neque etiam ſanis, licet brevi morituris, aut mortis periculum ſubituris, v.g. ſupplicio*

*afficiendis, prælium ſubituris &c. neque pueris rationis uſu adhuc carentibus, aut perpetuo amentibus.*

*Quoniam vero communiter, præſertim ruri, ſacrum oleum infirmorum ad ægrotos una cum ſanctiſſimo Euchariſtiæ viatico deferri ſolet, illud ex generali Eccleſiæ conſuetudine Sacerdos obſervet, ut, ſi tempus & conditio infirmi admittat, ante extremam unctionem, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentum eidem præbeat.*

*Quod ſi vero infirmo, quod is aut dictis Pœnitentiæ ac Euchariſtiæ Sacramentis paulo ante jam proviſus ſit, aut morbi ratio ea non admittat, ſola extrema Unctio adminiſtranda ſit, Sacerdos cum miniſtro, qui crucifixum, aquam benedictam cum aſperſorio, aliumque ad id neceſſarium apparatum, ſine tamen ſonitu campanulæ, deferat, ſacrum oleum in vaſculo argenteo, vel ſaltem ſtanneo, aut per ſe ſolum, aut in bombacio, aut ſimili materia ad evitandum effuſionis periculum diligenter*

*aſſer-*

*aſſervatum, ac ſacculo ſericeo violacei coloris vel burſa incluſum, ad locum, ubi infirmus jacet, deferat.*

*Ibi, quatenus fieri poteſt, parari curet menſam mappa candida coopertam, item vas, in quo ſit bombacium, ſeu quid ſimile in ſeptem globulos diſtinctum ad abſtergendas partes inunctas, medullam panis ad extergendos digitos, & aquam ad abluendas manus, ceream quoque candelam, quæ deinde accenſa, ſi opus ſit, ipſi ungenti lumen præbeat.*

*Denique operam det, ut, quanta poterit, munditia ac nitore hoc Sacramentum miniſtret, ipſumque ingreſſus cubiculum, in quo infirmus jacet, dicat:* Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

*Poſtea ſtans verſus ægrotum, dicat:*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Introeat, Domine JEſu Chriſte, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu, æterna felicitas, divina proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna: effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum; adſint Angeli pacis, domumque hanc deſerat omnis maligna diſcordia. Magnifica, Domine, ſuper nos nomen ſanctum tuum, & benedic † noſtræ converſationi: ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui ſanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus, & deprecemur Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, ut benedicendo benedicat † hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum cuſtodem, & faciat eos ſibi ſervire ad conſiderandum mirabilia de lege ſua: avertat ab eis omnes contrarias poteſtates: eripiat eos ab omni formidine

dine & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc tabernaculo cuſtodire dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

Exaudi nos, Domine, ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc tabernaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Quæ orationes, ſi tempus non patiatur, ex parte vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta confeſſione generali, latino vel vulgari ſermone Sacerdos dicat :* Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, abſolutionem, &c.

*Tunc Presbyter pro loco, tempore, & adſtantium numero vel qualitate recitabit ſeptem Pſalmos pœnitentiales* (*vel*

*( vel ſi tempus non ferat, ſaltem Pſalmum Miſerere ) cum litaniis, verſiculis & orationibus.*

## Septem Pſalmi pœnitentiales cum Litaniis

*Pro infirmis, antequam vel dum ſacro liniuntur oleo, ſeu pro alia neceſſitate dicuntur flexis genibus.*

*Antiphona:* Ne reminiſcaris.

*Pſalmus 6.*

Domine, ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum; ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde; ſed tu Domine uſquequo.

Convertere Domine, & eripe animam meam; ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?

La-

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum; lacrimis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt a furore oculus meus; inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam; Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei; convertantur, & erubeſcant valde velociter.

Gloria Patri, &c.

*Pſalmus 31.*

Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates; & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum; nec eſt in ſpiritu ejus dolus.

Quo-

Quoniam tacui, inveteraverūnt oſſa mea; dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua; converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci; & injuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi: confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus; in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum; ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me; exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris; firmabo ſuper te oculos meos.

No-

Nolite fieri ſicut equus & mulus; quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eorum conſtringe; qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris; ſperantem autem in Domino, miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate juſti; & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, &c.

*Pſalmus 37.*

Domine, ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea a facie iræ tuæ; non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Pu-

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ; a facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curvatus ſum uſque in finem; tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus; & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis; rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum; & gemitus meus a te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei & proximi mei; adverſum me appropinquaverunt, & ſteterunt.

Et qui juxta me erant, de longe ſteterunt; & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates; & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam; & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum, ſicut homo non audiens; & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperavi; tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi, ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei; & dum commoventur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum; & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo; & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati ſunt ſuper me; & multiplicati ſunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus; ne diſceſſeris a me.

Intende in adjutorium meum; Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri, &c.

*Pſalmus 50.*

Miſerere mei Deus; ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum; dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea; & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci; ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce

Ecce enim veritatem dilexiſti; incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam; & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis; & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

Ne projicias me a facie tua; & Spiritum ſanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui; & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas; & impii ad te convertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ; & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.

Domine labia mea aperies; & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam, ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique; holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion; ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta; tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri, &c.

*Pſalmus 101.*

Domine exaudi orationem meam; & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me; in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te; velociter exaudi me.

Quia

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei; & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum; quia oblitus ſum commedere panem meum.

A voce gemitus mei; adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pellicano ſolitudinis; factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi; & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei; & qui laudabant me, adverſum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manducabam; & potum meum cum fletu miſcebam.

A facie iræ & indignationis tuæ; quia elevans alliſiſti me.

Dies mei ſicut umbra declinaverunt; & ego ſicut fœnum arui.

Tu autem Domine in æternum

permanes; & memoriale tuum in generationem & generationem.

Tu exurgens miſereberis Sion; quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus; & terræ ejus miſerebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine; & omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion; & videbitur in gloria ſua.

Reſpexit in orationem humilium; & non ſprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera; & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo; Dominus de cœlo in terram aſpexit.

Ut audiret gemitus compeditorum; ut ſolveret filios interemptorum.

Ut annuncient in Sion nomen Domini; & laudem ejus in Jeruſalem.

In conveniendo populos in unum; & reges, ut ſerviant Domino.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ; paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum; in generationem, & generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundaſti; & opera manuum tuarum ſunt cæli.

Ipſi peribunt, tu autem permanes; & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Filii ſervorum tuorum habitabunt; & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto &c.

*Pſalmus 129.*

De profundis clamavi ad te Domine; Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes; in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine; Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt; & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus; ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem; ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia; & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael; ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, & Filio &c.

*Pſalmus 142.*

Domine exaudi orationem meam auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua; exaudi me in tua juſtitia.

Et non intres in judicium cum ſervo tuo; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam; humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi; & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis; in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te; anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine; defecit ſpiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me; & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam; quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam; & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam; quoniam ego ſervus tuus ſum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; ſicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

*Antiphona.* Ne reminiſcaris Domine, delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

# LITANIÆ.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
} Ora pro nobis.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum Spirituum Ordines, orate pro nobis.

Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſeph, ora pro nobis.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,

} Ora pro nobis.

Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate pro nobis.

 Om-

Omnes ſancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancti Fabiane & Sebaſtiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, orate pro nobis.
Sancti Coſma & Damiane, orate pro nobis.
Sancti Gervaſi & Protaſi, orate pro nobis.
Omnes ſancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Silveſter,
Sancte Gregori,
Sancte Ambroſi,
Sancte Auguſtine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
} Ora pro nobis.
Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, orate pro nobis.

Omnes ſancti Doctores, orate pro nobis.

Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Franciſce, } Ora pro nob.

Omnes ſancti Sacerdotes & Levitæ, orate pro nobis.

Omnes ſancti Monachi & Eremitæ, orate pro nobis.

Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anaſtaſia, } Ora pro nobis.

Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.

Propitius eſto, parce nobis Domine.

Propitius eſto, exaudi nos Domine.

Ab omni malo, Libera nos Domine.

Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A ſubitanea & improviſa morte,
Ab inſidiis diaboli,
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,
A ſpiritu fornicationis,
A fulgure & tempeſtate,
A morte perpetua,
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptiſmum & ſanctum jejunium tuum,
Per crucem & paſſionem tuam,
Per mortem & ſepulturam tuam,
Per ſanctam reſurrectionem tuam,
Per admirabilem aſcenſionem tuam,
Per adventum Spiritus ſancti Paraclyti.
In die judicii,

Libera nos Domine.

Peccatores, te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris.
Ut Eccleſiam tuam ſanctam regere & conſervare digneris,
Ut Domnum apoſtolicum & omnes eccleſiaſticos ordines in ſancta religione conſervare digneris,
Ut inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris,
Ut Regibus & Principibus chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo chriſtiano pacem & unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare & conſervare digneris,
Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas,

Te rogamus audi nos.

Ut

Ut animas noſtras fratrum, propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias, } Te rogamus audi nos.

Ut fructus terræ dare & conſervare digneris, } Te rogamus audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, } Te rogamus audi nos.

Ut nos exaudire digneris, } Te rogamus audi nos.

Fili Dei, } Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

*Pſalmus 69.*

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.

Confundantur, & revereantur: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego vero egenus & pauper ſum: Deus adjuva me.

Adjutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri &c.

℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis.

℟. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice noſtro N.

℟. Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus noſtris.

℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Requieſcant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus noſtris abſentibus.

℟. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus ſperantes in te.

℣. Mi-

℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram: ut nos & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Exaudi, quæſumus, Domine ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Ineffabilem nobis Domine miſericordiam tuam clementer oſtende: ut ſimul nos & a peccatis omnibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus

Deus, qui culpa offenderis, pænitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

Omnipotens ſempiterne Deus miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N., & dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

Deus, a quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Ure igne ſancti Spiritus renes noſtros & cor noſtrum Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remiſſionem

cun-

cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris, ſimul & mortuorum, omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum ſuorum veniam conſequamur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus

ritus ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.

℟. Amen.

*Has autem Litanias ſi quis præſentibus ex populo carniolico idiomate præorare voluerit, eas ſub finem libri reperiet.*

*His peractis Sacerdos accedit ad lectum infirmi, & extenſa manu dextera facit ter ſignum crucis ſuper eum dicens:*

In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti extinguatur in te omnis virtus diaboli per impoſitionem manuum noſtrarum, & per invocationem omnium ſanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriar-

cha-

charum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum, Amen.

*Deinde intincto pollice in oleo ſancto in modum crucis inungit infirmum partibus hic ſubſcriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum.*

## Ad oculos.

Per iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum: In nomine Patris, & Filii, † & Spiritus ſancti.

℟. Amen.

*Miniſter vero ſi eſt in ſacris, vel ipſemet Sacerdos poſt quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei ſimilis, eaque in vaſe mundo reponat, & ad Eccleſiam poſtea deferat, comburat, cineresque projiciat in ſacrarium.*

Ap

## Ad aures.

Per iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per auditum: In nomine Patris, & Filii, † & Spiritus ſancti. ℟. Amen.

## Ad nares.

Per iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per odoratum: In nomine Patris, & Filii, † & Spiritus ſancti. ℟. Amen.

## Ad os compreſſis labiis.

Per iſtam ſanctam † Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per guſtum, & locutionem deliquiſti: In nomine Patris, & Fi † lii, & Spiritus ſancti.

℟. Amen.

## Ad manus.

Per iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum deliquiſti: In nomine Patris, & Fi † lii, & Spiritus ſancti.
℞. Amen.

*Et adverte, quod Sacerdotibus, ut dictum eſt, manus non inungantur interius, ſed exterius.*

## Ad pedes.

Per iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per greſſum deliquiſti: In nomine Patris, & Fi † lii, & Spiritus ſancti.
℞. Amen.

## Ad lumbos.

Per iſtam ſanctam † unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per lumborum delectationem deliquiſti: In nomine Patris, & Fi†lii, & Spiritus ſancti. ℞. Amen.

*Hæc*

*Hæc autem unctio ad lumbos, ut dictum eſt, omittitur ſemper in fœminis, & etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut ſine periculo moveri non poſſunt. Quibus omnibus peractis Sacerdos dicit:*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac ſervum tuum.

℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Mitte ei auxilium de ſancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutus es: infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei: cura, quæſumus, Redemptor noſter gratia ſancti Spiritus languores iſtius infirmi, ejusque ſana vulnera, & dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis & corporis ab eo expelle, plenamque interius & exterius ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Reſpice, quæſumus Domine, famulum tuum N. in infirmitate ſui corporis fatiſcentem, & animam re-

tove,

ſove, quam creaſti; ut caſtigationibus emendatus, ſe tua ſentiat medicina ſalvatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oremus.

Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem tui nominis benignus aſſiſte, ut famulum tuum ab ægritudine liberatum, & ſanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ ſanctæ cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Deinde aſſumpta imagine S. crucis faciat ſuper infirmum ſequentes benedictiones, dicens:*

Dominus noſter JEſus Chriſtus apud te ſit, ut te de † fendat. Intra te ſit, ut te re † ficiat. Circa te

ſit, ut te con † ſervet. Ante te ſit, ut te de † ducat. Poſt te ſit, ut te con † fortet. Super te ſit, ut te undique muniat, & bene † dicat. Spiritus ſanctus deſcendat & maneat ſuper te. ℟. Amen.

℣. Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis.

℟. Amen.

℣. Et ſanet omnes languores tuos.

℟. Amen.

℣. Redimatque de interitu vitam tuam.

℟. Amen.

Et faciat in omnibus bonis deſiderium tuum. Qui ſolus in Trinitate unus Deus vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. Pax tecum.

*Poſtea extendit manum dexteram, vel ſi commode poteſt, tangit caput ipſius infirmi, dicendo:*

Sanet te Deus Pater, qui te creavit in carne.

Sa-

Sanet te Filius, qui pro te paſſus eſt in cruce.

Sanet te Spiritus ſanctus, qui tibi infuſus eſt in baptiſmate.

Sancta & laudabilis Trinitas, unus Deus, gratiam ſuam ad profectum ſalutis animæ & corporis in te augeat, & ab omni malo te liberet, ac in bono jugiter conſervet. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

*Ad extremum pro perſonæ qualitate breviter quædam ſalutaria monita præbere poterit, quæ infra ponuntur, quibus infirmus ad moriendum pie in Domino confirmetur, & ad fugandas dæmonum tentationes roboretur.*

*Denique aquam benedictam & crucem, niſi aliam habeat, coram eo relinquet, ut illam frequenter aſpiciat, pro ſua devotione oſculetur, & amplectatur.*

*Admoneat etiam domeſticos & miniſtros infirmi, ut, ſi morbus ingraveſcat, vel infirmus incipiat agoniza-*

 *re,*

*re, ſi fieri poſſit, mox ſe vel Confeſſarium proprium accerſant, ut morientem adjuvet, ejusque animam Deo commendet. Si vero mors ipſa jam immineat, vel eam præſens præſtoletur, vel, ſi neceſſitas diſcedendi urgeat, antea non abeat, quam animam Deo rite commendaverit. Quæ autem circa viſitationem curamque infirmorum, ac aſſiſtentiam moribundorum in praxi a Sacerdotibus pie obſervari poſſunt, vide: quæ ſequuntur,*

---

# EXERCITIUM

## Sacerdotis circa viſitationem curamque infirmorum, & aſſiſtentiam moribundorum.

*Cum majus, Deoque magis acceptum, & ad animarum ſalutem conducens opus nullum ſit, quam infirmos & in extremo vitæ periculo poſitos ad ſancte moriendum adjuvare, Sacerdos curatus me-*

*meminiſſe debet, non poſtremas muneris ſui partes eſſe, horum ſedulam curam habere.*

*Neque id Parochorum tantum munus eſt, ad quos animarum cura ex officio pertinet, ſed omnium etiam Sacerdotum. Quare, de Parochis præſertim, loquens Rituale romanum vult, ut ipſi ſtatim, ac aliquem ex ſuis Parochianis gravius ægrotare intellexerint, non expectent, ut infirmus Parochum accerſat, ſed ipſe ultro eum inviſere curet, idque non ſemel tantum, ſed frequentius, præprimis ſi infirmum non modo corpore, ſed etiam ſpiritu ægrotare advertit.*

*Quod ſi præterea ex ſuis quempiam humanis etiam deſtitutum auxiliis noverit, ei providi & benigni paſtoris charitatem & operam deeſſe non patiatur: hujus proinde neceſſitatibus, quantum fieri poterit, & facultas ſuppetet, vel ipſe de ſuo, vel per privatas publicasque collectas & elemoſinas ſuccurrere adlaboret.*

*Prima tamen ægrotantium cura ſit ſpiritualis, omnemque in eo ponat diligentiam, ut in viam ſalutis eos dirigat, atque a diabolicis inſidiis ſalutarium adjumentorum præſidio defendat, ac tueatur.*

*Accedat autem ad ægrotos ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad perſuadendum apta, ac præcipue exempla Sanctorum, quæ plurimum valent; quibus eum in Domino conſoletur, excitet, & recreet: illudque diligenter caveat, nequis infirmo, præſertim inter rudes & ruſticos, pro corporali ſalute aliquod violentum, quod mortem acceleret, vel vanum & ſuperſtitioſum, ut non raro fit, remedium ſuadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum non modo valetudinis, ſed etiam animæ cedat.*

*Parochus in tam ſancto ſibique proprio munere legitime impeditus, id ſaltem provideat, ut per alium, ubi is haberi poteſt, Sacerdotem pium, prudentem, & huic muneri exercendo idoneum*

*neum præſtetur, qui non minus ipſi infirmo, quam ejus domeſticis utilitati eſſe poſſit, quorum profectum Sacerdos infirmo aſſiſtens ſemper etiam præ oculis habere debet. Hinc ſi talis Sacerdos, monet Rituale, forte deeſſet, id Parochus ſaltem per aliquem laicum pium & chriſtiana charitate præditum, qui ægroto ſanctis verbis & monitis præſto ſit, præſtandum curabit.*

*Sacerdos itaque ægroti domum ingreſſus, dicat:*

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

*Mox infirmum, ejus cubiculum, & lectum aqua benedicta aſpergat, dicens antiphonam:* Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

*Poſtea Redemptoris crucifixi imaginem accipiens dicat:* Ecce crucem Domini! fugite partes adverſæ. *Et ægroto deoſculandam præbeat, inquiens:* deoſculare pedes JEſu Crucifixi, qui in hac cruce pro tua ſalute mortuus eſt.

 Tum

*Tum blandis eum verbis alloquens, niſi præſens imminentis mortis periculum jam adeſſe animadvertat, non ſtatim, niſi infirmus ipſe ſponte ſua faciat, mentionem confeſſionis injiciat, ſed aliquas prius quæſtiones de morbi genere, de doloribus, de remediis hactenus adhibitis & his ſimilibus rebus, ad oſtendendam ſuam erga ægrotum compaſſionem & ſollicitudinem, præmittat: quibus ipſum erga ſe benevolum efficere queat.*

*Interea, ſi perſona infirma medici opera utatur, isque coram adſit, clam ex eo* Sacerdos *reſcire procuret, an infirmitas ſit periculoſa & mortalis.* Dico: *clam; quia non raro medici ipſi, poſthabitis* Concilii Lateranenſis *& plurium ſummorum Pontificum decretis, neſcio quo vano infirmos aut eorum propinquos contriſtandi metu, obligationem confeſſionis peragendæ, quam cognito periculo illis imponere tenentur, intimare negligunt; cum multi ſæpe hoc idem eſſe, ac mortem certam infirmo*

*mo denunciare perperam ſibi perſuadeant.*

*Quare poſtquam Sacerdos ex medico morbum vel ex genere ſuo, vel ex aliis ſignis & circumſtantiis periculoſum eſſe cognoverit, rurſum ægrotum accedens, blandis ac ſuavibus verbis hortetur, ut Dei voluntati ſe conformet; ſuas cum Chriſto in cruce languente dolores conjungat; divinam imploret miſericordiam; infirmitatis ſuæ dolores tanquam paternam Dei viſitationem accipiat, eosque in peccatorum ſuorum ſatisfactionem patienter ferat.*

*Denique ſpem omnem ſuam in Deo reponat, qui potens eſt ipſum, ſi velit, priſtinæ ſanitati reſtituere, ad quam facilius a Deo, bonorum omnium largitore obtinendam, oſtendet illi, quantopere ſtatus gratiæ & Sacramentorum uſus conducat; donec ſic tandem paulatim, qua par eſt, prudentia interrogando eum de poſtremo peractæ confeſſionis tempore, ad ipſam confeſſionis mentionem deducat. Quam ut eo efficacius*

*illi perſuadeat, conetur eidem ſenſim præſentis infirmitatis periculum ita proponere, ut inde infirmus ipſe confeſſionis neceſſitatem agnoſcat; monendo illum, ne aut medicis, aut propinquis nimiam fidem adhibeat, qui ſæpe, etſi morbi gravitatem advertant, ne tamen ægrotum contriſtentur, non eam illa, qua Confeſſarius, ſinceritate proponere audent. Hinc cum ſapientis ſit, prævidere futura, ſuadeat illi, ut, dum adhuc mentis & virium compos eſt, conſcientiæ ſuæ latebras exquirat, ac omnium peccatorum ſuorum (non enim parum proderit ex communi Theologorum & Aſcetarum conſenſu, infirmum, quantum rerum circumſtantiæ admittunt, ad generalem totius vitæ exomologeſim diſponere) confeſſionem ſuſcipiat, quæ corporis non minus, quam animæ ſaluti, divina adjuvante gratia, proderit.*

*Si igitur ægrotus his permotus & confiteri velit, aliquam ei temporis moram, quo conſcientiam ſuam excutere queat, relinquat. Ipſe autem interea*

a conjunctis, domeſticis, amicis, nec non ab ipſo, ſi fieri poteſt & alioquin non conſtet, ejus naturam, indolem, defectus, inclinationes, vitæque rationem, aliud quaſi agendo, ſuaviter exquirere, & reſcire ſatagat, ut omnibus, præſertim iis, quæ ad odia, pravas forte amicitias, famæ aut bonorum reſtitutiones pertinent, opportuna remedia afferre poſſit.

Poſtquam igitur ægrotum ita ad confitendum præparatum, ſeque, quo facilius ipſi pro ſtatus exigentia idoneis remediis ſuccurrere poſſit, ſufficienter inſtructum animadverterit, cum omni charitate & manſuetudine confitentem audiat; &, ſi rudis ſit, aut propter virium debilitatem dificulter loquatur, variis quæſtionibus adjuvet. Caveat tamen ſedulo, ne quoquo modo infirmo perſonas ipſas odio habitas, aut impure dilectas nominet, aut memoret, niſi ad hoc ex neceſſitate adſtringatur. Vulneratos quoque, poſtquam, quidquid ad remiſſionem injuriæ pertinet, proviſum

*ſuerit, non facile interroget, quis eos qua de cauſa, aut quomodo læſerit: & ſi infirmus ipſe de hoc loqui incipiat, ſermonem ad alia divertere conetur. Ita etiam, niſi neceſſitas urgeat, de litibus, conjuge, prolibus, domeſticis, bonis, aliisque rebus ſæcularibus omnem ſermonem avertat.*

*Si tamen ægrotus dilationem quærat, aut ſpatium aliquod pro præparatione relinqui ſibi poſtulet, niſi imminentis mortis, lethargi, vel delirii periculum prudenter timendum ſit, omnino ei indulgeri poterit. Curet tamen omni conatu providus Confeſſarius, ut ipſe tempus determinet; puta veſperum, aut diem craſtinum confeſſioni explendæ. Si vero ſupradictum periculum imminere prudenter timeatur, aut prævideatur, ipſum cum divo Auguſtino moneat, quod Deus non promiſerit peccatores expectare, ſed tantum eis parcere, ſi pœniteant.* Craſtinum non promiſit, fortaſſe dabit, fortaſſe non dabit. *Deinde ſubmittat aliquem prudentem vi-*

*virum, qui multum apud ipſum authoritate & gratia valeat, ut eum ad officium hominis chriſtiani commoneat, & periculum vitæ imminens oſtendat. Proderit etiam, ſi Confeſſarius commemoret, & collaudet ſollicitudinem & charitatem, qua infirmus hucuſque erga domeſticos ſuos eſt uſus, ſubjiciatque, ſe ſperare, quod non minorem etiam ſuæ ſalutis, hoc maxime tempore, ſit habiturus, &c.*

*Quod ſi neque hæc media quidquam proficiant, & infirmus, his inſuper habitis monitis, ad confitendum adduci non poſſit, inquirat Sacerdos occulte, ut ſupra monui, in præcipuam hujus obſtinationis cauſam & radicem, eamque omni conatu & induſtria tollere, & variis jam terroris jam fiduciæ argumentis eum expergiſcere ac ad ſaniora conſilia inducere ſatagat. Explicet illi, quomodo Deus jocari ſecum hominem non patiatur: ſi non reſipuerit, merito timendum eſſe, ne impleat in ipſo Deus, quod per Eccl. c. 5. minatus eſt:* ne

tardes converti ad Dominum, & ne diſeras de die in diem; ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Item illud: vocavi te, & renuiſti, ego quoque in interitu tuo ridebo. *Oſtendet illi præterea, quam infelix ſtatus peccatores in altera vita maneat, quamque nihil adeo detrectandum ſit homini, ut illum effugiat: an malit ardere potius in æternum, quam nunc Deo ſuo reconciliari, & modicum pœnitere, &c.*

*Si denique poſt hæc omnia ſe obſtinatum porro exhibere pergat infirmus, provideat Sacerdos, ut tam privatæ quam publicæ pro miſeri hujus ſalute preces ad Deum adhibeantur, & nunquam eum deſerat, nec ab illius latere ac lecto longius diſcedat, dum flectatur, & ſalutaribus monitis morem ſe geſturum promittat.*

*Si morbus invaleſcat, infirmum hortetur, ut de ſuis quoque domeſticis rebus non ſolum pro familiæ pace, ſed etiam pro conſcientiæ ſuæ quiete diſponat.*

*nat. Etſi autem Confeſſarius ipſe ſine graviſſima cauſa aut neceſſitate extrema nec teſtamentis condendis aſſiſtere, nec eorum in ſe executionem ſuſcipere unquam debeat; cavendum ſit maxime, ne Sacerdos quidquam infirmis conſulat, quod aliis præjudicio eſſe poſſit, aut rei hujus juſtam ſuſpicionem præbeat; cum miniſtros Chriſti minime deceat, ut ſe rebus ſæcularibus inmiſceant, ac aliorum in ſe odia commoveant: id tamen prudenter infirmos opulentiores, præſertim rudiores, admoneant, ut, ſi ægrotus parentes, fratres, ſorores, aut his ſanguine proximos valde indigentes habeat, ſub gravi obligatione ipſorum ante alia, quamvis pia opera, recordetur, tantumque illis relinquat, quantum ad eorum gravem neceſſitatem ſublevandam ſufficit.*

*Deinde hortetur ægrotum, ut, ſi pro animæ ſuæ ſubſidio aut ſolatio aliquid teſtari cogitet, id vivens adhuc determinet, & executioni dare ſatagat, neque id hæredum ſuorum directioni & arbitrio*

*bitrio indeterminate committat, aut facile relinquat; cum experientia ſatis conſtet, piis iſtiusmodi legatis ſæpius ab iis minime ſatisfieri, aut certe ea in longius tempus differri. Id tamen hic rurſus ſedulo caveat Sacerdos, ne infirmos, præſertim rudiores, ad exaggeratum ſacrificiorum numerum, aut quædam pia legata inducendo, aliquam lucri aut propriæ utilitatis notam incurrat.*

*Si moribundus ſub actuali confeſſione voce aut ſenſibus deſtituatur, vel in phrænesim, aut apoplexiam incidat, vel ex debilitate ac ſpirituum vitalium defectu cæptam confeſſionem abrumpat, & periculum adſit, ne expiret, poteſt, imo debet talem ſacramentaliter abſolvere, etſi non dum integram confeſſionem abſolverit; remanente tamen obligatione, mortalia reliqua omiſſa, cum ad ſe redierit, rurſus poſtea confitendi.*

*Idem intelligendum eſt, ſi in probabili vitæ periculo Confeſſarius pœnitentem audiat, cujus idioma vel ſimpliciter, vel*

*vel perfecte non callet, adeoque confeſſionem non niſi ex ſignis, vel mancam quoad ſpeciem aut numerum excipere poteſt: quo caſu abſolvere illum debet, dum alius linguæ gnarus haberi poſſit, cui deinde, ſi ceſſante periculo ſupervivat, omnia ſua peccata integre confiteri tenetur.*

*Haud ſecus agendum eſt Confeſſario, ſi vocetur ad periculoſe decumbentem, qui ſolus a circumſtantibus, ipſique opem ferentibus relinqui non poteſt: ut ſunt recenter vulnerati, mulieres parturientes, aliique: aut ubi duo vel plures in eodem lecto aut cubili jacent, nec facile ab invicem ita ſeparari poſſunt, quin alter alium confitentem audiat: in quibus circumſtantiis ſatisfacit Confeſſarius muneri ſuo, ſi a talibus non niſi leve peccatum aliquod ſibi ſpecifice exponi petat; de cœteris vero generatim ſe accuſantes, præmiſſo dolore ac propoſito, abſolvat; ita tamen, ut, ſi poſtea occaſio aut facultas ob diſceſſum adſtantium & pœnitentis vires detur*

*tur, ex inſtituto integre confitentes audiat. Cujus ratio eſt; quia nemo obligatur ad confeſſionem publicam, præſertim peccati gravis, quod citra propriam proſtitutionem hic & nunc exponere nequit.*

*Quod ſi vero Sacerdos moribundum jam loquella deſtitutum inveniat, non ſatis ſecure agit, ſi ſolum ſollicitus ſit, ut ſignum aliquod doloris ex eo eliciat; ſed videat, ut præterea, vel nutu, vel aliis ſignis certis ſe generatim peccatorum accuſet, abſolutionisque deſiderium oſtendat; cum ad integritatem confeſſionis non ſolus dolor, ſed etiam aliqua ſenſibilis, ſaltem per ſigna externa, eaque certa ſui de peccatis accuſatio ad valorem Sacramenti ſit neceſſaria: quibus habitis tum primum eum abſolute abſolvat. Dixi per ſigna certa; nam ſi ſigna ſolum det dubia, qualia ſunt ſuſpirium aliquod, elevatio oculorum, teſtimonium unius vel plurium aſſerentium, quod abſente Confeſſario ſigna pœnitentiæ ediderit, & Confeſſarium deſi-*

*deſiderarit, vel ſi conſtet, quod chriſtiane & catholice vixerit &c., abſolvendus eſt ſolum conditionate.*

*In caſu, ubi plures in conflictu aliquo vel rixa vulneratos, aut naufragio merſos, aut domus vel quavis ruina oppreſſos, aut denique quacunque ex cauſa de vita periclitantes offenderit Confeſſarius, omnes meliori, quo poteſt modo, præſentes ad eliciendum dolorem hortetur, brevemque ipſemet ac ſuccinctam doloris efficacis & propoſiti formulam ſuggerat, admonens illos, ut aliquo ſigno externo poſſibili ſe peccatorum accuſent, & abſolutionis deſiderium comprobent: quo facto omnes ſimul generatim hac forma abſolvat:* ego vos hic ſufficienter præſentes, qui capaces eſtis, ab omnibus cenſuris & peccatis veſtris abſolvo. In nomine Patris, & Filii †, & Spiritus ſancti. Amen. *Hoc præſtito primum ad ſingulos in particulari, & quidem præprimis ad periculoſiores, ſi poteſt, ſe conferat, eorumque confeſſiones, ſi con-*

*conſiteri poſſunt, ſingillatim excipiat, confeſſos denuo abſolvat, cæteraque, quæ ad eorum ſalutem neceſſaria videbuntur, diſponat.*

*Circa reſtitutiones tam famæ, quam bonorum ab infirmo faciendas diligenter quoque obſervet Confeſſarius, ne ullum facile, quem nulla ratione prudenter & licite a reſtitutionis onere liberare poteſt, ſi illius quocunque modo faciendæ capax ſit, liberet, neque antea abſolvat, quam eam vel per ſe, vel per alios faciat. Si vero illius faciendæ incapax ſit, videat, ut ſaltem ejus voluntatem ad eam etiam nunc, ſi daretur facultas, vel certe cum convaluerit, & capax fuerit, pro viribus faciendam inflectat, & permoveat.*

*Etſi autem aliqui exiſtiment, abſolvi poſſe infirmum, ſi reſtitutionem per hæredes poſt mortem facere velit; rectius tamen facturum Confeſſarium cenſent Authores plurimi, ſi infirmo perſuadere conetur, ut per ſeipſum, dum vivit, maxime ſi fama alicui gra-*

vi-

*viter læſa reddenda ſit, ac inde orta infamia nondum ex integro oblivioni ſit data, ejusmodi reſtitutionem faciat.*

*Et quoniam ſæpe nec expedit, nec facile fieri poteſt, ut moribundus ſine ſui proſtitutione declaret in teſtamento aliquas reſtitutiones eſſe faciendas, ſuadeat illi, ut vel apponat paragraphum teſtamento, quo jubeat hæredes tantam ſummam Confeſſario aut alteri potius cuipiam amico numerare, quæ expendi debeat ſecundum voluntatem teſtatoris: vel quo dicatur, ſe reliquiſſe ſchedam in manu Confeſſarii vel amici, qua declaravit, quid inſuper poſt mortem ſuam fieri velit; quam proinde validam eſſe decernit, acſi teſtamento clare fuiſſet inſerta, adeoque ab ipſis hæredibus executioni eſſe dandam.*

*Ita conſtitutis & rite diſpoſitis præcipuis tam temporalibus, quam ſpiritualibus rebus videat Sacerdos, quibus adhuc potiſſimum modis moribundum ad æter-*

*æternitatis iter ſecurius promptiusque obeundum adjuvet. Pernicioſus enim ſane multorum curatorum error eſt, qui ſe jam omnes paſtoralis erga infirmos officii ſui partes, ſi iisdem de more ultima morientium Sacramenta adminiſtrarunt, expleviſſe, nihilque ſibi præterea agendum ſupereſſe exiſtimant. Verum quis neſcit, quam multa ſint, quæ moribundos, optime etiam ad mortem comparatos, non raro perturbare, & ad extremum ſalutis diſcrimen deducere queunt. Urgent enim, teſte experientia, tum miſeros plerumque graviores & periculoſiores dæmonum aſſultus, dum ſuprema lucta imminet, quibus dæmon partim eos ad nova peccata incitat, partim veterum delictorum eis memoriam refricat; partim etiam talium perſæpe criminum, quorum prius forte nunquam meminerunt, in animo recordationem ſuſcitat; ut illos non raro ex horum omnium tetricis idæis in horrendas anguſtias, in puſillanimitatem maximam, ac ipſam pene deſperationem dejiciat. Heu!*

*Heu! quam ſæpe, & quam funeſta, utinam rara, in ipſo portu contingunt naufragia! dum magiſter navis vel abeſt, vel dormit, quaſi de re jam peracta ſecurus.*

*Quare infirmum, quamvis omnibus jam morientium ſacramentis rite proviſum, in tam periculoſo tamen ſalutis diſcrimine, nunquam, quoad fieri poterit, ex integro ſibi ſoli relinquat, ſed etiam non vocatus, quando licebit, adeat. Ubi vero locorum diſtantia, temporis dificultas, & laborum ſpiritualium nimia moles id non admiſerit, poſt adminiſtrata ultima morientium ſacramenta antea infirmum non deſerat, quam eum adverſus omnes fallaces dæmonis incurſus obfirmatum ſufficientibus ad ſupremam luctam ſpiritualibus præſidiis præmunierit.*

*Videat igitur de clientis ſui ſalute ſollicitus paſtor 1mo. quibus potiſſimum tentationibus & dæmonis fraudibus impugnetur, & opportuna adverſus eas remedia eidem ſuggerat.*

*2do.*

*2do. applicet illi, quas lucrari poteſt indulgentias 3tio. repetitis illum virtutum, præcipuæ theologicarum fidei, ſpei, & charitatis, item contritionis, reſignationis in divinam voluntatem, & petitionis actibus exerceat. 4to. Provideat, ei de aqua benedicta, ſacro cereo, & crucifixi effigie. 5to. Sanctiſſima Jeſus, Maria, & Joſeph nomina, item pios aliquos affectus & aſpirationes ipſi identidem ſuggerat, iisque frequentius & voce, & mente repetendis illum aſſuefaciat. 6to. Denique curet, ut ab infirmi lecto cubiculoque vana & pernicioſa, ſi quæ ſunt, objecta, & parum honeſtæ imagines removeantur, illisque ſubſtituat alias pias & ſacras, Servatoris crucifixi, B. Virginis, Sanctorumque tutelarium, & patronorum; ut ſic ægrotus, quocunque ſe vertat, eas cernere, ac illorum opem implorare queat. Perſonas vero, quæ aliquando occaſionem tentationum aut peccati præbere poſſent, non ſolum a cubiculo, ſed etiam*

*domo*

*domo faceſſere jubeat: neque facile, dum infirmus agoniæ proximus videtur, niſi neceſſitas urgeat, conjugem, liberos, aut propinquos, ne paſſioni alicui aut perturbationi anſam præbeant, ad eum ingredi permittat, præter unum alterumve, qui ipſi, dum oportet, præſto ſint.*

*His præſtitis, ſi mors non dum mox ſecutura prævideatur, antequam Sacerdos ab ægro diſcedat, dicere poterit ſuper infirmum pſalmum,* Miſerere, cum Gloria Patri &c. *vel alium ex ſeptem pœnitentialibus: item* Evangelium S. Joannis, *aliasve preces in rituali diæceſano notatas: recitaturus autem hoc vel aliud Evangelium dicat de more:* ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. ℣. Initium S. Evangelii ſecundum Joannem. ℟. Gloria tibi Domine.

*Dum hoc dicit, faciat ſignum crucis pro more ſuper ſe in fronte, ore, & pectore: ſimiliter ſuper infirmum, ſi fuerit maſculus, & is ſe ipſum ob in-*

*firmitatem ſignare non poſſit. Si autem fuerit fœmina, dum Sacerdos ſe ſignat, illa in dictis locis vel ſe ipſam, ſi poteſt, ſignet; vel ab alia, ſi non poſſit, muliere ſignetur. In fine Evangelii*

℟. Deo gratias.

*Poſtea dicat Sacerdos:* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac famulum tuum, *vel* famulam tuam.

℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.

℟. Et de Sion tuere eum, *vel* eam.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo, *vel* ea.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Dominus opem ferat illi.

℟. Su-

℟. Super lectum doloris ejus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram: ut nos, & hunc famulum tuum (*vel* hanc famulam tuam) quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui ſuper infirmum famulum tuum (*vel* infirmam famulam tuam) oſtende virtutem, ut ope miſericordiæ tuæ adjutus, (*vel* adjuta) Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis repræſentari mereatur.

Concede hunc famulum tuum, *vel* hanc famulam tuam) quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſ-

 ſione

ſione a præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Tum det in manus infirmo crucifixum, ut illum cordi apprimat, atque deoſculetur dicendo:*

O JEſu dulciſſime! Deus cordis mei! obſecro te per quinque vulnera, quæ amore mei ſuſcepiſti, ſubveni famulo tuo, *vel* famulæ tuæ, quem *vel* quam pretioſo ſanguine redemiſti.

*Carniolice:* O moj ſlatki JEſus, ti troſhtar mojga ſerza, jeſt tebe proſſim ſkus tvoje pet ſvete Rane, katere ſi ti is lubesni pruti meni prejeu, pridi tvojimu ſlushabniku, *ali* ſlushabnizi na pomuzh, sa kateriga, *ali* katera ſi ti tvoja predraga ſveta kry preliu.

*Germanice:* O mein ſüßeſter Jeſus! du einziger Troſt meines Herzens! ich bitte dich durch deine heilige fünf Wunden, die du aus Liebe gegen mich empfangen haſt, komm zu Hülfe deinem Diener, oder

oder Dienerin, welchen oder welche du mit deinem koſtbaren Blute erlöſet haſt.

*Denique breviter conſoletur infirmum, promittatque ſe ejus memorem futurum in ſuis precibus & miſſæ ſacrificiis, ac etiam curaturum, ut id ab aliis fiat. Aſpergat eum aqua benedicta, & det ei ſolitam benedictionem ſacerdotalem:*

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Fi † lii, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen.

## §. I.

### *Preces, ſeu Affectus a moribundis in ſuſceptione ſanctiſſimorum Sacramentorum uſurpandi.*

*Ante ſacram Confeſſionem.*

Domine JEſu Chriſte! Salvator & Redemptor meus benigniſſime! heu! quam me inſtantis mortis timor conturbat, dum iſthinc peccatorum meorum gravitatem & multitudinem, il-

illinc te horum aliquando juſtiſſimum fore vindicem conſidero. Sed tu Domine, qui neminem ad te venientem peccatorem repellis, reſpice hoc cor contritum & humiliatum oculis miſericordiæ tuæ, & miſerere peccatricis animæ meæ, quæ ad te unicum bonorum omnium fontem jam anhelat, te unice quærit, & deſiderat. Ne memineris, quæſo, iniquitatum mearum, neque obliviſcaris bonitatis tuæ Domine, per pretioſum ſanguinem tuum, quem in remiſſionem meorum & totius mundi peccatorum profudiſti. Veniat ad te oratio mea, & propitius eſto mihi peccatori. Oſtende modo mihi faciem tuam, & accende tui amorem in corde meo, illumina intellectum meum, ut omnia mea peccata agnoſcere, deflere, ſincere confiteri, & de iis veram pœnitentiam agere queam.

O JEſu! mein gütigſter Heiland und Erlöſer! Ach! was für ein Furcht und großer Schrecken des annahen-

den

den Todes überfallen mich, da ich ſo wohl die Zahl und Schwere meiner Sünden, als auch die Strenge deines Gerichtes betrachte. Allein, du o GOtt! der keinen Sünder, der zu dir deine Zuflucht nimt, verſtoſſeſt, ſieh an mit deinen barmherzigen Augen dieß mein erniedrigtes, und zerknirſchtes Herz, und erbarme dich meiner ſündhaften Seele, welche jetzt nach dir, der einzigen Quelle aller Güte, ſeufzet, dich allein ſuchet, und verlanget. Ach gedenke doch nicht, o HErr! auf meine begangene Mißethaten, ſondern erinnere dich deiner unendlichen Barmherzigkeit durch dein koſtbares Blut, welches du vor meine, und der ganzen Welt Sünden vergoſſen haſt. Laß mein Gebett zu dir kommen, und ſey gnädig mir armen Sünder. Zeige mir dein mildes Angeſicht, entzünde in mir das Feuer deiner Liebe, erleichte meinen Verſtand, daß ich alle meine Sün-

 den

den recht erkennen, beweinen, aufrichtig beichten, und für dieſe eine wahre Buß würken könne.

O moj JEſus! moj dobrutlivi Odreſhenik inu Isvelizhar! oh! kaj sa en ſtrah le te naprejſtojozhe ſmerti me obide, kader jeſt moje prevelike grehe, s'katerim ſim jeſt tvoja neisgruntana dobruta reſhalou, inu na tvoja ojſtra ſodba ſmiſlim. Ti pak o moj Buh! kir nobeniga na saverſhesh, pogledei moje sgrevanu inu ponishnu ſerze s'tvojmi miloſtmi ozhmi, inu uſmili ſe zhes moja boga pregreſhna duſha, katera ſi k'tebi, temu ſtudenzu tvoje neisgruntane dobrute blisha, tebe ſhelli, inu po tebi sdihuje. Jeſt tebe pohleunu proſim, nikar na ſpomni na moje hudobe, ampak ſmisli na tvoja velika dobruta, ſkus katera ſi ti tvoja predraga kry na ſvetim hrishu sa moje inu zeliga ſveta grehe preliu. O moj JEſus perpuſti, de pride moja proſhna pred tvoje oblizhie, inu bodi

di miloſtivu meni ubogimu greſhniku.
Pokashi tedei tvoje ſvetu oblizhie, inu ushgi v'mojmu ſerzu tvoja lubeſen, reſvetli moj um inu pamet, de bi mogou uſe madeſhe moje duſhe, inu vſe moje pregrehe ſpoſnati, taiſtih ſe popounoma ſpovedati, taiſte ſerzhnu objokati, inu zhes taiſte ena popounema pokura ſturiti.

*Actus Contritionis & propoſiti.*

Omnipotens, æterne, & miſericors Deus! ego miſer, infelix, & gratia tua indignus peccator projicio me in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ, & oro te ſupplex: reſpice cor contritum & coram te humiliatum, quod tui amore ſuccenſum, te, o mi Deus, jam ſolum ſuper omnia deſiderat, te amat, & in te uno conquieſcit; quia tu ſolus ſummum, unicum, infinitum es bonum, omni amore digniſſimum. Ex hoc amore doleo, quod te Deum, Dominum, ac Patrem meum benigniſſimum

tot ac tantis peccatis a juventute mea in hanc uſque horam commiſſis offenderim. Ah utinam te nunquam offendiſſem. Sed nunc jam firmiter ſtatuo & propono cum gratia tua, mori potius, omniaque pati mala, quam te ullo amplius in hac vita peccato offendere. O Deus propitius eſto mihi peccatori. Amen.

Allmächtiger, ewiger und barmherziger GOtt! ich armer elender, und deiner Gnade unwürdiger Sünder werfe mich vor dein Angeſicht deiner göttlichen Majeſtät, und bitte dich demütiglich, ſieh gnädigſt an dieſes mein reumütiges, und vor dir erniedrigtes Herz, welches von der Liebe gegen dich angeflammet, dich o mein GOtt, jetzt allein verlanget, dich allein über alle Dinge liebet, und in dir allein ſeine Ruhe findet; weil du allein das höchſte, einzige, unendliche, unerſchöpfliche, und aller Liebe würdig-

digſte Gut biſt. Aus dieſer Liebe reuet es mich, daß ich dich meinen GOtt, meinen Herſcher, und meinen liebſten, und gütigſten Vater mit ſo vielen und ſchweren Sünden von meiner Jugend her bis auf dieſe Stund beleidiget habe. Ach! wenn ich dich, o mein einiges und höchſtes Gut, niemal beleidiget hätte. Aber jetzt nehme ich mir feſtiglich für, und verſpreche ernſtlich mit deiner Gnade mich zu beſſeren, ehe zu ſterben, als dich mehr in meinem Leben mit einer Sünd zu beleidigen. O GOtt ſey gnädig mir armen Sünder. Amen.

O Vſigamogozhni, vezhni, inu vſmileni Buh! jeſt bogi, inu tvoje gnade nevredni greſhnik ſe verſhem pred oblizhje tvoje viſokuſti, inu tebe ponishnu proſim, poglei moje sgrevanu inu ponishnu ſerze, keteru je vshganu s'lubesnio pruti tebi: kateru tebe, o moj Buh, sdej ſamiga zhes vſe rezhi sheli, tebe lu-

bi, inu v'tebi ſvoj myr iſhe; kir ſi ti ſam ta nar vezhi, neisgruntana, inu vſe lubesni vredna dobruta. Is te pruti tebi gorezhe lubesni je meni ſhou, inu mene greva, de ſim tebe mojga Boga, mojga Goſpuda, mojga lubiga, inu dobrutliviga Ozheta od moje mladoſti noter da konza mojga ſhiulenja is tulikim prevelikim grehim reſhalou. Oh! ki jeſt tebe nikidar na biu reſhalou. Sdej pak ſi terdnu naprei vsamem, inu tebi oblubim, de ſe ozhem s'tvojo ſveto gnado pobulſhati, inu varvati pred vſem greham, ja taushentkrat raiſhi umreti, koker poſihmal tebe v'mojmu ſhivlenju vezh reshaliti. O moj Buh! bodi meni ubogimu greſeniku gnadlivu, inu miloſtivu ſkus tvojo neisgruntano dobruto, Amen.

*Poſt ſacram Confeſſionem.*

Sit tibi Domine, obſecro, meritis beatæ ſemper Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & omnium Sanctorum gra-

grata, & accepta iſta Confeſſio mea: & quidquid mihi defuit nunc & alias de ſufficientia contritionis, de puritate & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas & miſericordia tua, & ſecundum illam digneris me habere plenius & perfectius abſolutum in cœlo. Qui vivis, &c.

O HErr nimm gnädig auf dieſe meine Beicht und Buß durch die Fürbitt und Verdienſte deiner Jungfräulichen Mutter Maria, und aller lieben Auserwählten; und erſetze durch deine Güte und Barmherzigkeit alle Mängel und Fehler, welche ich dieß und andermal in dieſen heiligen Sacrament begangen, damit ich alſo durch eben dieſe deine Güte und Barmherzigkeit von allen meinen Sünden ſowohl hier zeitlich, als dort ewiglich losgeſprochen werde. Amen.

O moj miloſtvi Iſvelizhar Chriſtus JEſus! jeſt tebe pohleunu proſim, nei bo tebi perjetna leta mo-

ja Spoved ſkus ſaſlushenje tvoje lube matere Marie Divize, inu vſih lubih Svetnikou, inu kar je meni per lete pomankalu na pravi grevingi, inu terdnimu naprejusetju, proſim deb' ti moj JEſus otou po tvoji ſveti miloſti taiſtu dopouniti, inu na to visho mene popounima od mojih grehou odveſaniga imeti v' mojimu inu tudi v' vezhnimu shiulenju, Amen.

*Ante ſacram Communionem, vel Suſceptionem ſacri Viatici.*

*Cum Sacrum viaticum ad domum infirmi delatum fuerit, eum vel Sacerdos, qui illud detulit, vel alius, qui in infirmitate aſſiſtit, ita alloquatur:* En Frater ſacrum, quod accipere deſideras, viaticum! en cibum fortium! qui te vel ſanitati, ſi hoc ſaluti tuæ æternæ expedierit, reſtituet, vel ſi tibi moriendum eſt, contra diaboli inſultus præſidio, & itineris ad beatam patriam comes erit. Eja igitur! præpara animam tuam ad amplectendum Redemptorem tuum, qui pro tua ſalute deſcendit de cœlis, homo fa-

factus, paſſus, & in cruce mortuus eſt; nunc vero animæ tuæ vulnera ſanaturus ipſe ad te venit, ſi toto corde Dominum Deum tuum amas, & in vita te offendiſſe doles. Dic igitur intimo cordis affectu:

Veni Domine! veni amor meus, Deus meus & omnia. Veni! ad te ſitit anima mea, te deſiderat, & præter te nihil aliud concupiſcit.

Veni mi JEſu! veni omne bonum meum! Te amplector; Tibi gratias ago; Te amo, & in æternum amare & ſpero, & deſidero. Heu! quam me pœnitet, te offendiſſe: ſed nunc quidquid vitæ mihi ſupereſt, in tuum amorem jam unice impendere cupio, & propono.

Veni igitur Salvator meus! & remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam; & hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Da mihi manna abſconditum, ut ambulem in fortitudine cibi hujus uſque ad montem Dei Horeb.

Da

Da mihi eſcam, quam dediſti timentibus te, & præparaſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Komm o HErr! komm mein Troſt, mein GOtt, und mein Alles! komm nach dir ſeufzet, dich allein verlanget meine Seele.

Komm mein JEſus! komm mein einziges und höchſtes Gut! Dich umfaſſe ich; Dir ſage ich Dank für deine Wohlthat, daß du zu mir armen Sünder zu kommen dich würdigeſt. Ach wie reuet es mich, daß ich dich jemal beleidiget habe. Aber dieſes ſey hinfüro weit von mir: alle Zeit meines noch übrigen Lebens ſoll deiner Ehre, und deiner Liebe allein gewidmet ſeyn.

Komm ſodann mein Erlöſer! vor deinem Angeſicht werfe ich mich nieder, und bette dich demütig an, den ich als wahren GOtt und Menſchen unter der Geſtalt des Brodes hier gegenwärtig zu ſeyn glaube, und bekenne.

Dich

Dich o Speiß der Engel! o Brod des ewigen Lebens verlange ich inbrünſtig zu empfangen: komm und nimm den Beſitz von meiner Seele jetzt und in alle Ewigkeit. Ich will nicht mehr leben ohne dir: und ich will ſterben in dir.

O ſrezhni dan! ob katirem imam perloshnoſt to S. Reſhno Tello mojga Isvelizharja prejeti.

Jeſt ſpoſnam, o moj Bug? de niſem vreden tebe prejeti, kir ſim tebe vezhna dobruta tulikain reſhalou, inu tulikrat tebi ſe nahvaleshen iskasou; kir pak vender nezh drusiga mojo duſho naſititi premore, koker ti, inu ti ſam mene k'tebi vabiſh: pridi tedej, o moj JEſus, ti nebeshki Arzat, inu osdravi moja boga duſha.

Jeſt tebe virjem, inu molim pod ſhtautjo tega kruha prizhiozhiga, koker ſi v'nebeſih; kir ti vezhna reſniza ſi nam toku resodeu.

Is velikim savupanjam jeſt te ſhelim prejeti, inu na tvojo naisgruntano dobruto terdnu savupam, de ti mene nabodeſh odvergu, temuzh dobrutlivu inu miloſtvu gori useu.

Pridi o moj lubesnivi JEſus! dodelli sdej, kader bom prejeu tvoje S. Reſhno Tello, de ſe vname moje ſerze v' lubesni pruti tebi. Pridi v' moje ſerze, inu ushigei v'mojmu ſerzu ta plemen tvoje lubeſni, poterdi mojo voljo, osdravi mojo revno duſhizo, katera pruti te sdihuje. Jeſt te shelim lubiti, kuſker tebe vſi Angelzi, inu vſi isvoleni lubijo. Leti lubesni pruti tebi jeſt shelim umreti, de bi jeſt v'tebi, inu ti v'meni vezhnu prebivou.

O Maria prezhiſta Diviza inu Mati Boshja, vſi Angelzi, inu Svetniki Boshji, pridite, inu pomagaite meni mojga inu vashiga Boga vredni prejeti, inu zhaſtiti.

Od ſonzniga prihoda noter ſahoda bodi zheſhenu to S. Reſhnu Tellu.

*Dum*

*Dum ſacrum viaticum infirmo porrigitur, rurſus Sacerdos eum hoc vel ſimili modo alloquatur:* Converte Frater faciem tuam ad JEſum, qui te ſacro ſuo corpore & ſanguine paſcere, & amplecti cupit, ac dicito cum Sacerdote:

Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed dic tantum verbo, & ſanabitur anima mea.

Komm mein gütigſter Heiland! komm, und heile meine arme Seele. An dich glaube ich; auf dich hoffe ich; dich liebe ich über alles, O mein JEſus! darum ruffe ich mit reumüthigen Herzen: O HErr ich bin nicht würdig, daß du geheſt unter mein Dach, ſondern ſprich nur ein Wort, ſo wird geſund meine Seele.

Perpuſti o moj JEſus! de tvoje S. Reſhnu Tellu, kateri jeſt ubogi greſhnik sdei shelim prejeti, bo meni k' pomuzhi zhes uſe ſouraſhnike na duſhi inu na telleſu.

O Goſpud! jeſt ubogi greſhnik niſim ureden, de ti greſh pod mojo

ſtre-

ſtreho mojga ſhivota, temuzh rezi eno ſamo beſedo, toku bo osdraulena moja uboga duſha.

*Sumpto ſacro viatico iterum Sacerdos infirmum ad gratiarum actionem ſequentibus affectibus adjuvet:*

O Sacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, & futuræ vitæ nobis pignus datur:

Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

Inveni quem diligit anima mea. Teneo te, nec dimittam. Nam etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es: & paraſti in conſpectu meo menſam adverſus omnes, qui tribulant me.

Anima Chriſti ſanctifica me,
Corpus Chriſti ſalva me,
Sanguis Chriſti inebria me,
Aqua lateris Chriſti lava me,
Paſſio Chriſti conforta me,
O bone JEſu exaudi me,

Inter

Inter vulnera tua abſconde me,
Ne permittas me ſeparari a te,
Ab hoſte maligno defende me,
In hora mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In ſæcula ſæculorum, Amen.

Anbettungs-würdigſte Majeſtät meines Gottes! vor deſſen Angeſicht niemand in Himmel oder auf Erden zu erſcheinen würdig iſt; was kann ich anders vor dir thun, als dich in tiefeſter Demuth des Herzens anbetten.

Darum o höchſter, und unendlicher GOtt! Ich unterwerfe mich deiner Majeſtät, vor welcher alle Knie gebogen werden: in derer Vergleich alle Macht eine Schwachheit, alle Glückſeligkeit ein Elend, und alles Licht eine Finſternuß iſt.

Dir allein, o großer, ewiger, und unſterblicher GOtt! dir allein ſey alle Ehre, Glorie, Lob, und Herrlichkeit. Gebenedeyt ſey der

ewi-

ewige Sohn des Allerhöchſten, der ſich gewürdiget hat, heut mit mir ſich innerſt zu vereinigen und mein Herz zu beſitzen.

O Seele Chriſti heilige mich!
O Leib Chriſti heile mich!
O Blut Chriſti tränke mich!
O Waſſer der Seiten Chriſti waſche mich!
O Marter Chriſti ſtärke mich!
O gütiger JEſu erhöre mich!
In deine Wunden verbirg mich!
Laß nicht von dir abſöndern mich!
Von böſem Feinde beſchirme mich!
Zur Stunde des Todes beruf mich!
Zu dir in Himmel führe mich!
Daß ich dort könne loben dich
Mit deinen Heiligen ewiglich. Amen.

O preſlatki JEſus! koku ſrezhen ſim jeſt, de sdei te imam; katirga nebu inu semla nemorejo obſezhi; pred katerim Angelzi trepezhejo, inu ſvoie oblizhje sakrivajo.

O neisgruntana lubesen! kaj ozhem jeſt vezh posheleti, kir tebe ushivam,

vam, v'katerimu ſo uſi ſhazi te dodobrute inu miloſti.

Koku pak bodem jeſt tebi ſe hvaleshen iſkasou sa uſo tvojo lubesen inu dobruto? Ti veiſh, de ſim ena ſrotna ſtvar, de nezh neimam, kar tebi nebiu doushan

Tedei nebeſhki Ozha, uſemi gori koker en hvaleshni offer tvojga lubesniviga Synu JEſuſa. Niegova vrednoſt ima nameſtiti moja neurednoſt.

Duſha Chriſtuſova poſveti me!
Tellu Chriſtuſovu ſvelizhej me!
Kry Chriſtuſova napoji me!
Voda is ſtrani Chriſtuſove operi me!
Terplenje Chriſtuſovu poterdi me!
O dobrutlivi JEſus ſhliſhi me!
Med tvoje rane sakri me!
Od te ſe lozhit nepuſti me!
Pred peklenſkim ſouraſhnikam vari me!
Ob uri moje ſmerti poklizhi me!
Des'uſemim Svetnikim bom hvalou te
Sdei, uſelei, inu navekumei. Amen.

In

## *In ſuſceptione Sacramenti extremæ Unctionis.*

*Preces in Rit. fol. 176. & ſeq. poſitas, æger linguæ latinæ gnarus Sacerdotem, qui hoc Sacramentum miniſtrat, ex præſcripto uſurpantem, vel ipſe pro majori devotione repetendo voce aut affectu ſequatur, vel ab alio ſibi aſſiſtente has ex integro vel pro parte ſuggeri curet. Germanicæ vero aut Carniolicæ duntaxat linguæ periti ſequentibus precibus ac affectibus juvari poterunt.*

### Vor der heiligen letzten Oelung.

Allmächtiger, ewiger GOtt! der du durch deinen heiligen Apoſtel Jacob geſagt haſt: iſt jemand krank unter euch, berufe er die Prieſter der Kirchen, und ſie ſollen über ihn betten, und mit dem Oel ſalben; und das Gebett des Glaubens wird dem Kranken helfen; und der HErr wird ihn erringern, und wenn er in

in den Sünden iſt, werden ſie ihm vergeben werden. Ich bitte dich demüthigſt, du wolleſt dich meiner erbarmen, daß ich vor meinen Tode die heilige letzte Oelung erlangen möge; mithin durch die Gnad des Geiſtes in meiner Schwachheit geſtärket, und von meinen Sünden gereiniget werde. Verleih mir, o mein GOtt, daß ich durch die heilige Salbung innerlich, und äuſſerlich geheiliget werde: oder wenn die leibliche Geſundheit meinem Seelenheil ſchädlich iſt, ſo verleih mir, o barmherziger GOtt! einen ſeligen Tod, Durch JEſum Chriſtum unſern HErrn und Heiland. Amen.

Bey der Salbung der Augen ſprich mit dem Mund oder Herzen alſo:

O mein JEſus! ich bitte dich durch deine unendliche Barmherzigkeit, durch die Verdienſte deiner heiligen Augen, welche du in dem letzten Abendmahle zu deinem himmli-

ſchen Vater und am Creutz zu deiner mitleidenden Mutter gewendet haſt, und durch jene Zäher, die du in deinem ſchmerzvollen Leben auf Erden vergoſſen haſt; laß mir alle Strafen nach, die ich durch mein ſträfliches Anſehen, und böſen Gebrauch der Augen verdienet habe.

Bey der Salbung der Ohren.

O mein JEſus! ich bitte dich durch die Verdienſte deiner geduldigen Ohren; ſchenke mir alle jene Strafen, die ich durch mein ſtrafmäßiges Zuhören jemal verdienet habe.

Bey der Salbung der Naſen.

O mein JEſus! ich bitte dich durch deine Verdienſte, die du in deinem Leiden durch großen Geſtank im Kerker erdulden haſt wollen, verzeih mir alle Sünden, die ich durch ſinnliche Zärtligkeit begangen habe.

Bey

Bey der Salbung des Mundes.

O mein JEſus! ich bitte dich durch dein bitteres Getrang der Gall und des Eßiches, mit welchen dein heiliger Mund am Creutz iſt getränket worden, und durch die Verdienſte, die du dir theils durch dein heiliges Stillſchweigen, theils durch dein Reden und Predigen erworben haſt; vergib mir alle meine Schuld und Strafen, die ich im Geſchmacke, und Reden ſo oft verdienet habe.

Bey der Salbung der Hände.

O mein JEſus! ich bitte dich durch die Verdienſte deiner unſchuldigen Hände, die für mich an das Creutz ſind genagelt worden; verzeih mir alles jenes, was ich durch ungezimmtes Antaſten, oder durch andere Boßheiten meiner Hände verſchuldet habe.

Bey der Salbung der Füſſe.

O mein JEſus! ich bitte dich durch alle jene Schrite, die du für un-

ſer Seelenheil gemacht, und durch jene Peinen, welche du in der Annagelung deiner heiligen Füße an das Creutz gelitten haſt; verzeih mir alle meine Schrit und Trite, die ich zu deiner Beleidigung angewendet habe.

Bey der Salbung der Lenden.

O mein JEſus! ich bitte dich durch jene unausſprechliche Schmerzen, die du in deinem heiligen und bitteren Tode am Creutze ausgeſtanden haſt; verzeih mir alle meine ſündhafte Wollüſten meines ganzen Leibes, mit welchen ich dich beleidiget habe.

Nach der heiligen letzten Oelung.

Die Salbung des geheiligten Oeles gedeih mir, o HErr! zur Reinigung meiner Seele und meines Leibes, wie auch zum Schutze und Schirm wieder die Anfechtungen des böſen Geiſtes, damit ich durch die Kraft dieſes heiligen Sacramentes die Beſchwernußen meiner Krankheit

heit mit Geduld übertragen, alle ſchwermütige Gedanken ausſchlagen, mein Herz aber in der heiligen Hofnung, und göttlichen Liebe ſich beféſtigen möge, und endlich mit allen Heiligen der unbegreiflichen Liebe Chriſti JEſu hier zeitlich und dort ewig theilhaftig werde. Amen.

*Preiden ta Bounik ta ſveti Sakrament pusledniga Ojla preime.*

O miloſtvi Goſpud Buh! kir ſi ti diau ſkus tvojga lubiga Jogra Jacoba: aku je kdu bolan, ta od zirkue Maſhnike k' ſebi poklizi, de bodo sa niega molili, inu s' ojlam ga masali v' imeni tiga Goſpuda; inu ta molitva te viere bo njemu pomagala, inu Buh ga bo gori usdignu, inu aku je on grehou dapernesou, mu bodo odpuſheni. Toku ſi ti, moj Buh, govorou; sa tiga vola terdnu savupam, de bo ſkus gnado ſvetiga Duha moja slabuſt poterdena, moje rane osdraulene, inu moji grehi od-

puſheni. Preloshi meni, o moj Buh, uſe moje bolezhine na duſhi, inu na teleſſu, inu dodeli meni notrejne inu unajne sdravie ſkus mojga Goſpuda JEſuſa Chriſtuſa. Amen.

*Per Maſilu na ozheh s' beſedam ali v' ſerzu rezhi.*

O moj Buh! mene is zeliga ſerza grevajo uſi moji grehi, katere ſim jeſt s' mojim pogledam moje dny ſturou; kir ſim tulikukrat moje ozhi paſou po navarneh, inu naſpodobneh rezheh: ti meni miloſtivu taiſte odpuſti, pohleunu te proſim: kir k' sbriſanjo teh grehou jeſt tebi offram vſe taiſtu, kar je moj dobrutlivi JEſus na ſvojih ſvetih ozheſih sapluvanih inu od ſols mokrih preterpou.

*Per maſilu na usheſah.*

O moj Buh! mene is zeliga ſerza grevajo vſi moji grehi, katere ſim jeſt s' uſeſſami moje dny ſturou; kir ſim tulikukrat poſluſhou taiſtu, kar na biu imou poſhluſhati: meni

mi-

miloſtivu taiſte odpuſti, pohleunu te proſim: kir k'sbriſanjo teh grehou jeſt tebi offram vſe taiſtu, kar je moj dobrutlivi JEſus na ſvojih ſvetih uſheſih sa mene preterpou.

*Per maſilu na noſſo, inu na uſtah.*

O moj Buh! mene is zeliga ſerza grevajo uſi moji grehi, katere ſim jeſt s'mojim noſſam, tudi s' uſtmi, ali s'jeſikam moje dny dopernelsou; ti meni taiſte miloſtivu odpuſti, pohleunu te proſim: kir k'sbriſanjo mojeh grehou jeſt tebi offram vſe taiſtu terplenje, katero je moj JEſus v' kehi is smradam, inu na ſvetimu kriſhu is ſhouzam inu jeſikam napajen, preterpou.

*Per masilu na rokah.*

O moj Buh! mene is ſerza zeliga grevajo vſi moji grehi, katere ſim jeſt s' mojmi rokami moje dny ſturou; ti meni taiſte miloſtivu odpuſti, pohleunu te proſim: inu k' sbriſanjo teh mojeh grehou jeſt tebi of-

offram vſe taiſtu terplenje, katero je moj JEſus na ſvojih rokah terpou; kir ſo bile veſane, na kriſh perbite, shelesnimi shebli prevertane.

*Per maſilu na Nogah.*

O moj Buh! mene is zeliga ſerza grevajo vſi moji grehi, katere ſim jeſt s' mojo hojo ſturou; ti meni taiſte miloſtivu odpuſti, pohleunu te proſim; inu k' sbriſanjo teh mojeh grehou jeſt tebi offram vſe taiſtu terplenje, katero je moj JEſus na ſvoih ſvetih nogah terpou.

*Per masilu na shivotu.*

O moj Buh! mene is zeliga ſerza grevajo vſi moji grehi, katere ſim jeſt s' zelim mojim ſhivotam ſturou; ti meni taiſte miloſtivu odpuſti, pohleunu te proſim: inu k' sbriſanjo teh mojih grehou jeſt tebi offram vſe taiſtu terplenje, katero je moj JEſus na ſvojim ſvetim telleſu sa mene preſtau.

Po

*Po ſvetimu Ojlu.*

To masilu tega ſvetiga Ojla bodi meni o moj JEſus k'ozhishenjo na duſhi, inu na telleſu, inu k' eni brambi zhes vſe noterdajanje ſkushnjave tega hudizha, de bom ſkus mozh tega ſvetiga Sakramenta volnu inu ſerzhnu preterpou vſe teshave moje bolesni. Jeſt savupam, inu ſe saneſſem na tvojo naisgruntano dobruto inu miloſt: nei ſe s'mano sgodi po tvoji ſveti voli. Amen.

## §. II.

## Indulgentiæ moribundis applicandæ.

*Poſteaquam moribundo de extremis morientium Sacramentis rite proviſum fuerit, curet Sacerdos eidem aſſiſtens, ut in ſolatium animæ quaspiam quoque indulgentias illi applicet, quibus remiſſo per Sacramentorum uſum reatu culpæ, reatus pariter pœnæ poſt mortem tolerandæ, vel plene vel ex parte ſaltem extinguatur. Quare circa has obſervet primo: ut ſciat, quasnam vel ipſe Sacer-*

*dos aſſiſtens moribundo vi officii, conceſſionis, indulti, privilegii, aut quovis alio titulo impertiri; vel moribundus ſibi ipſe vi alicujus Sodalitatis, confraternitatis, confœderationis, quibus inſertus eſt, applicare, aut etiam ex alio quovis ſpeciali indulto conſequi poſſit: cujusmodi ſunt 1mo. ex rite ſuſceptis in fine vitæ ſanctiſſimis Sacramentis; 2do. ex devoto Chriſti crucifixi, aut alicujus numiſmatis oſculo, cui annexa ſit pro mortis articulo plenaria peccatorum remiſſio; 3tio. ex pia ſanctiſſimorum nominum Jeſus, Maria, & Joſeph pronunciatione, ac invocatione in morte; 4to. ex elicitis eodem mortis tempore virtutum theologicarum actibus; 5to. denique ex abſolutione generali, quam ſummi Pontifices tum Epiſcopis, tum religioſis quibusdam Ordinibus eorumque delegatis conceſſerunt.*

*Secundo obſervet diligenter Sacerdos, dum vel ipſe moribundo prædictas, aut alias quasvis indulgentias, vel moribundus ipſe ſibi eas applicat, ut prius*

*in eo excitet intentionem & has tot, quot poteſt, lucrandi.*

## Modus

### Impertiendi Benedictionem in articulo mortis conſtitutis.

Benedictus XIV. *Anno 1747. conceſſit Epiſcopis & eorum delegatis facultatem, ut hæc benedictio cum indulgentia plenaria eidem annexa, ægrotis illis in mortis articulo poſt recepta Sanctiſſima Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta impertiri poſſit, qui eam vel petierint, dum ſana mente & integris ſenſibus erant, ſeu veroſimiliter petiiſſent; vel dederint ſigna contritionis, etſi poſtea linguæ cæterorumque ſenſuum uſu ſint deſtituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, eſt omnino deneganda.*

*Hæc eadem inferius poſita formula a ſupradicto Papa Benedicto XIV. præſcripta, etiam aliis quibuscunque abſolutionibus applicari poterit.*

*Quare habens hanc abſolvendi facultatem Sacerdos, dum ingreditur cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat:* Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

*Deinde ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat aqua benedicta dicendo:* Aſperges me hyſſopo & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

*Quod ſi ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Si confeſſionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia, & virtute, ſi tempus ferat, breviter admoneat; tum inſtruat, atque hortetur, ut morbi incommoda, ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque ſeſe paratum offerat ad ultro acceptandum, quidquid ei placuerit, & ad mortem*

*ipſam*

*ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit: (quæ acceptatio mortis eſt opus pro indulgentia injunctum). Tum piis ipſum verbis conſoletur, in ſpem erigens fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remiſſionem, & vitam ſit conſecuturus æternam. Poſtea dicat:*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

*Antiph.* Ne reminiſcaris Domine delicta ſamuli tui (*vel* ancillæ tuæ) neque vindictam ſumas de peccatis ejus.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac famulum tuum, *vel* famulam tuam.

℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℟. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Clementiſſime Deus, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque ſperantem, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice propitius famulum tuum N. (*vel* ancillam tuam,) quem (*vel* quam) tibi vera fides, & ſpes Chriſtiana commendat. Viſita eum (*vel* eam) in ſalutari tuo, & per Unigeniti tui paſſionem & mortem, omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus ſui te judicem propitiatum inveniat, & in ſanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, tranſire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

*Tum*

*Tum dicto:* Confiteor &c. *Sacerdos dicat:* Miſereatur &c. Indulgentiam &c. *Deinde:*

Dominus noſter JEſus Chriſtus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & reſtituat tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti; Et ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, &c.

Per ſacroſancta humanæ reparationis myſteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes præſentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat, Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

*Si vero infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque Confeſſionis faciendæ,*

*ne-*

*neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos benedictionem ei impertiatur, dicens:* Benedicat te &c. *ut ſupra.*

## ACTUS VIRTUTUM.

*Quibus Benedictus XIII. & XIV. quoties eliciuntur, ſeptem annorum indulgentias; quotidiano vero eorum exercitio ſingulis menſibus eo die, quo ſanctiſſima Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta obeunt, & pro hora mortis indulgentias plenarias indulſerunt.*

### FIDES.

Credo in Deum vivum, & verum, trinum, & unum, Creatorem, Redemptorem, & Sanctificatorem meum. Credo, & confiteor fidem illam ſanctiſſimam, quam Chriſtus JEſus docuit, quam Apoſtoli prædicarunt, quam ſancta Romana tenet, & profitetur Eccleſia. In hac ſancta fide proteſtor me vivere, & mori velle: quia tu Deus illam revelaſti, qui es prima, & infallibilis veritas.

Spes

## SPES.

Spero in miſericordia tua infinita, o Deus, auxiliator unice, & potentiſſime corporis, & animæ meæ! & in pretioſo ſanguine JEſu Chriſti, Salvatoris mei, cum tanta charitate pro me fuſo, quod remiſſurus mihi ſis omnia, & ſingula peccata totius vitæ meæ, & daturus vitam æternam: quia promiſiſti, & es omnipotens, ac fidelis in adimplendis promiſſis tuis.

## CHARITAS.

Amo te mi Deus! propter te ipſum, & ſummam tuam, ac infinitam bonitatem, propter quam digniſſimus es amari ſuper omnia. Utinam te poſſem amare illo ardentiſſimo amore, quo te amant, & in æternum amabunt omnes ſancti Angeli, & Beati in cœlo, cum quorum amore conjungo imperfectiſſimum amorem meum.

Con-

## CONTRITIO & PROPOSITUM.

Ex hoc puriſſimo tui amore vehementer doleo, quod te amantiſſimum Deum meum, unquam offenderim. Abominor, deteſtor, execror, & retracto omnia, & ſingula peccata totius vitæ meæ. O ſi facere poſſem, ut ea nunquam commiſiſſem! Malo impoſterum pati omnia, & etiam mori, quam te, o amantiſſime Deus! ullo peccato præſertim gravi, offendere.

## DESIDERIUM SUSCIPIENDI SACRAMENTA.

Deſidero mi Deus, ac firmiter ſtatuo, cum tua gratia ſæpius me velle pie ſuſcipere ſanctiſſima Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ præſertim in hora mortis meæ: hoc oro te per vulnera & ſanguinem Domini noſtri JEſu Chriſti. Amen.

# Glaub.

Ich glaube in den wahren lebendigen GOtt, dreyfach in den Perſonen, einfach in der Gottheit. Ich glaube in GOtt den Vater, der mich erſchaffen hat: in GOtt den Sohn, der mich erlöſet hat: in GOtt den H. Geiſt, der mich durch ſeine Gnad geheiliget. Ich glaube, und bekenne jenen heiligen Glauben, welchen JEſus Chriſtus gelehret; die Apoſteln geprediget; die heilige Römiſch-Catholiſche Kirche haltet, und bekennet. In dieſem heiligen, allein ſeligmachenden Glauben betheure, und ſchwöre ich zu leben, und zu ſterben; weil GOtt, der die ewige, und unbetrügliche Weiß- und Wahrheit iſt, ſelben geoffenbaret hat.

# Hofnung.

Ich hoffe, und vertraue auf deine unendliche Güte und Barmherzigkeit, o GOtt! du einziger und mäch-

mächtigſter Helfer aller meiner des Leibs und der Seelen Dürftigkeiten! ich hoffe auch, und vertraue auf das koſtbareſte Blut meines Heilands JEſu Chriſti, daß du mir verzeihen werdeſt, alle und jede, durch mein ganzes Leben begangene Sünden, und ertheilen das ewige Leben; weil du es verſprochen haſt, treu, und auch mächtig biſt alles zu halten, was du verſprochen haſt.

## Liebe.

Ich liebe dich, o liebwertheſter GOtt! du höchſtes, unendliches Gut, und Abgrund aller Vollkommenheit. Ich liebe dich über alles wegen deiner unendlichen Güte: weil du allein aller möglichen Lieb, und Ehre würdig biſt. O daß ich dich mit jener inbrünſtigen Liebe könnte lieben, mit welcher dich alle Auserwählten und Engel in dem Himmel lieben, und in Ewigkeit

keit lieben werden, und können; mit aller deren inbrünſtigſten Lieb ich meine unvollkommneſte Liebe vereinige.

## Vollkommene Reu und Leyd.

Aus dieſer reineſten Liebe bereue ich vom Herzen, mit gröſten Abſcheuen, und Grauſen, und verwerffe alle, und jede Sünden meines ganzen Lebens. O daß ich ſolche niemal begangen hätte! ich will lieber alles leiden, und auch ſterben, als dich, o allerliebſter GOtt! hinfüro mit einer Sünd, ſonderbar mit einer Todt-Sünd beleidigen.

## Begierd zu empfangen die H. Sacramenten.

Ich verlange, o GOtt! und nehme mir kräftiglich für, mit deiner Gnad, mit möglichſter Andacht öfters zu empfangen die heilige Sacramenten der Buß, und des

Fron-

Fronleichnams JEſu Chriſti, beſonders aber in der Stund meines Todes. Dieſes verleih mir, o GOtt! durch das Blut und den Tod JEſu Chriſti unſers HErrn, Amen.

## *Viera.*

O moj Buh! jeſt vierjem v'tebe ediniga v'naturi, trojiga v'pershonah, Ozheta, Synu, inu S. Duha. De Bug Syn je sa naſs zhlovek poſtou, terpou, inu umrou, inu toku naſs je od vezhniga pogublenja odreſhou: de ti pravizhni Buh te dobre dobrutlivu polonaſh, inu te hudobne, zhe ſe neſpokore, pravizhnu ſtrafash; inu vierjem vſe letu, kar ſveta Mati Katholſhka Zirkou vierje, inu nam viervati napreipoſtavi; sa voljo tega, kir ti vezhnu moder, inu resnizhen Buh! ſi nam toku virvati ſkusi tvojo ſveto Zirkou osnanou.

*Upainje.*

Jeſt ſtanovitnu upam ſkusi saſluſheine moiga Isvelizharja JEſuſa Chriſtuſa od tvoje naisgruntane miloſti sadobiti odpuſhanje mojih grehou, gnado tvojo, inu vezhnu isvelizhanje, inu uſſe, kar je meni na duſhi, inu na teleſſu potreba doſezhi: tudi upam, inu ſhelim, tebe moj Buh! enkrat v'nebeſhkimu veſſelju vezhnu uſhivati; kir ti uſigamogozhen, v'tvojih oblubah ſveſti, inu miloſtvi Buh ſi meni toku oblubou.

*Lubesen.*

Jeſt tebe lubim moj Buh! is zeliga ſerza, is zele duſhe, inu is zele mozhi, zhes vſe tu drugu, sa voljo tvoje neisgruntane dobrute, inu lepote; kir ſi ti ſam na ſebi sa voljo tvoje ſhlahtnoſti vſe zhaſti, hvale, inu lubesni vreden; kir ſi ti moj Ozha, moj Goſpud, moj Buh, inu Uſſe.

Po-

*Popolnema Grevinga inu napreiuſetje.*

O moj Buh! mene is ſerza greva, de ſim jeſt tebe 'mojga lubesniviga Ozheta, inu Boga reshalou; ſatu, kir ſi ti ta vezhna vſe zhaſty, hvale, inu lubesni ſama na ſebi vredna dobruta, kateriga lubim is is zeliga ſerza. Zhertim, inu ſourashim vſe moje grehe zhes vſo hudobo; kir ſo tebi moj Buh tulkajn superni. Jeſt bi otou, de bi tebe nigdar nabiu reshalou. Si pak napreiusamem is tvojo ſveto gnado, inu pomozhjo poſehmau raiſhi taushentkrat umreti, koker tebe is enim ſmertnim greham vezh reshaliti: tudi vſe blishne perloshnoſti sapuſtiti, inu moje shiulenje sa naprei tudi v' maj[illegible]ſhih rezheh pobulſhati.

*Shelenje te ſvete Sakramente prejeti.*

Jeſt tudi, o moj Buh, shelim, inu ſi terdnu naprei usamem, de ozhem is tvojo ſveto gnado inu pomozhjo ſvete Sakramente te pokure inu ſve-

ti-

tiga Reſhniga Telleſa na ſadno uro prejeti. Sa letu jeſt tebe moj miloſtvi Buh poſebnu proſim ſkus rane, inu prelito kry tvojga lubesniviga Syna JEſuſa Chriſtuſa. Amen.

## §. III.

### Remedia

### Adverſus tentationes moribundis ſuggerenda.

*Cum nullum tempus ſit, ut ſupra fol. 238. monui, in quo gravius humani generis hoſtis homini inſtet, quam dum ſuprema lucta imminet, ſedulo & muneris ſui ſollicito Sacerdoti omni cura invigilandum eſt, ut ægrum contra omnes dæmonis inſultus ſpiritualibus armis præmuniat, ſemperque in promptu habeat remedia, quæ illi ad declinandas ſtygii veteratoris fraudes ac inſidias ſuggerat. Ex innumeris pene, quibus moribundi, optime etiam ad mortem comparati, impugnari ſolent, præcipuas ac magis communes tentationum ſpecies hic tantum ex Alphonſi Ligorii praxi Con-*

*feſſariorum cap. ult. §. V. fol. 229. afferam, ut Curati ſemper ad manum habeant ſpiritualia remedia & monita, quæ iis opponant.*

*Etſi autem Vir hic in ſpiritu & palæſtra iſta verſatiſſimus, communia & longe efficaciſſima adverſus omnes tentationes remedia eſſe cenſeat; tartareas hoſtis per ſe infirmi machinationes contemnere: mentem alio, v. g. ad Servatoris noſtri cruciatus, vel ad quid pium & ſpirituale cogitandum divertere: præſentem Dei, virgineæ Matris, ac ſanctorum tutelarium opem implorare: tum maxime ſanctiſſima Jeſus & Mariæ nomina invocare, & crucis ſe ſigno munire: pro ſpecialibus tamen quibusdam dæmonis inſidiis hic quædam ipſius Authoris fere ſervatis verbis & ordine adnotabo.*

I. *Adverſus fidei tentationes.* Hac terribili tentatione plerumque, præter alios complures, agitantur viri eruditi, & qui, cum perditam vitam egiſſent, ſibi ſuoque judicio nimium ad-

adhærent. His ſedulo advertendum, ut, ſi dæmon aliquod eis circa fidem dubium aut ſubtilitatem ſuggerat, ſtatim parato animo generatim reſpondeant, *ego credo, quod S. Mater Eccleſia credit, quæ veritatem credit, & confitetur.* Horteturque Sacerdos infirmum, ut Deo ſingulares agat gratias, quod ipſum præ tot aliis, nullo ſuo merito, in hac ſancta Eccleſia & fide naſci permiſerit, & in eadem uſque ad vitæ finem perſeverare, in qua ſe etiam velle, & vivere & mori profiteatur. Præcipuus tamen modus & utilior has tentationes repellendi erit mentem illico ad alia divertere, aliosque etiam affectus ex infra poſitis, nempe contritionis, ſpei, amoris erga Deum, & his ſimiles elicere.

Si tentatio tamen eum adhuc pergat vexare, oſtendat præterea infirmo, quod noſtræ fidei ac Eccleſiæ, quæ una, per ſe ſancta, & intemerata, a pauperibus prius piſcatoribus Apo-

ſtolis per totum orbem difuſa, tot miraculis ac tot millium martyrum ſanguine confirmata eſt, argumenta luce ſint clariora, & eam manifeſte veram eſſe demonſtrent, licet res, quas ipſa docet, ſint obſcuræ & captu impoſſibiles; nam ſi myſteria illius eſſent evidentia, ubi eſſet meritum fidei? quæ ideo fides dicitur, quia res, quas docet, obſcuræ ſunt, & non apparentes. Hinc recte Joan. c. 2. v. 29. dicitur: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.*

II. *Adverſus tentationem puſillanimitatis aut deſperationis.* Hæc eſt præcipua tentatio, quæ maxime illos ægrotos, qui vitam majoribus ſceleribus inquinatam, in juventute præcipue, duxerunt, vehementius impetit; unde illis loqui de divina juſtitia, de pœnis damnatorum, aut eorum patrata ſcelera ipſis exaggerare caveat Sacerdos; ſed potius ipſis fiduciæ in Dei miſericordia, Servatoris noſtri paſſione, divinis pro-

miſſis, ac Dei Matris ac Sanctorum interceſſione, argumenta inſinuet.

Primum igitur fiduciæ noſtræ motivum eſt divina miſericordia, dum Deus 2. Cor. 17. vocatur, & vere eſt, *Pater miſericordiarum.* Ipſe occurrit etiam non quærentibus ſe: *Invenerunt, qui non quæſierunt me*; nam magis Deus deſiderat nos ſalvos facere, quam nos ſalutem optamus. Quare ipſe de illis merito quæritur, quos etiam ſe fugientes amplexari cupit, ut ait S. Bernardus: *amplecti quærit, a quibus deſertum ſe eſſe queritur.* Ipſe eſt totus ad ignoſcendum promptus: *multus ad ignoſcendum. Iſaiæ.* 55. 7. Proteſtatur etiam ſe nolle mortem peccatoris: *nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Ezech.* 31. 11. Unde idem Ezechiel. c. 18. v. 21. inquit, quod, dum peccator ſua peccata deteſtatur, ipſe eorum memoriam amittat: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Poſt hæc

ergo divina teſtimonia, quis adhuc unquam de Dei miſericordia diſidere poterit? Unus tantum actus pœnitentiæ & doloris ſinceri ad innumera peccata delenda ſufficit. Publicanus vix ingemendo dixit: *propitius eſto mihi peccatori*, & juſtificatus eſt. Filius prodigus ſtatim ut ad Patris ſui pedes procidit, is eum amplexatus eſt. David dixit: *peccavi;* & Nathan ei reſpondit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* 2. *Reg.* 12. & 13. An igitur verum non ſit: *quod nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Eccli.* 2. 11.; *cum ipſe ſit propitiatio pro peccatis noſtris.* 1. *Joan.* 2.

Secundum motivum eſt paſſio JEſu Chriſti, qui non ad aliud, quam ad peccatorum ſalutem in terram ſe deſcendiſſe proteſtatur: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores. Matth.* 9. 13. Profitetur etiam ſe nullum a ſe abire pati: *eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Joan.* 6. 37. Et apud Matthæum c. 18. 12. inquit, quod

ipſe ſit bonus ille paſtor, qui diſperſas oves quærit; & ſi quam reperit, exultat, eam amplectitur, ſuisque humeris imponit: & videtur deinde hanc majori diligere affectu; prout ſe geſſit cum Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, Petro, aliisque pœnitentibus. Quis igitur timeat damnari a Domino, qui, ne damnaret nos, ſe ipſum ad mortem crucis damnare non dubitavit.

Tertium motivum ſunt divina promiſſa. Multis enim in locis Evangelii petentibus divina promittitur gratia: *petite, & accipietis. Joan.* 16. 24. *Amen, Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem, dabit vobis. Joan.* 16. 23. Et hic non ſolum de Juſtis, ſed etiam de peccatoribus ſermo fit juxta Matthæum: *omnis, qui petit, accipit. Matth.* 7. 8. Satis igitur eſt, gratias a Deo petere ad ſalutem, ut certo obtineantur: *bonus eſt Dominus animæ quærenti illum. Jerem. Thren.* 3. 25.

Quartum motivum eſt Sanctorum interceſſio, & præprimis Deiparæ, quam vult Deus, ut nos cum tota Eccleſia ſalutemus noſtrum refugium, vitam, & ſpem noſtram, ac dicamus: *refugium peccatorum ora pro nobis; vita & ſpes noſtra ſalve.* Unde merito ipſa beata Virgo appellatur a Bloſio: *ſpes deſperantium;* & a S. Ephrem: *adjutrix deſtitutorum.* Eadem Dei Mater beatæ Brigittæ revelavit, quod ſicut aliqua mater, videns filium inter enſes ſuorum hoſtium verſantem, animoſa in tutelam ſuam illum ſuſcipit; ita ipſa curet devotos ſuos tutari, dum a dæmonibus vexantur, eique ſe commendant.

III. *Adverſus tentationem nimiæ confidentiæ ex bonis operibus & vita laudabiliter acta, aut languoris in negotio ſalutis.* D. Bernardus ait, quod nimia confidentia, vana gloria, aut languor ſit quædam ſagitta, quæ *leviter penetrat, ſed non leviter vulnerat;*

præ-

præſertim ſi perſona ſit timoratæ conſcientiæ. Si igitur Sacerdos advertat moribundum nimis ſe reputare ſecurum de ſua ſalute, ac proinde etiam languidum in hoc negotio, quia aut nimium operibus ſuis fidit, aut nullius gravioris noxæ ſe etiamnum reum novit; eidem dicat, quod peccata ſolummodo noſtra ſint: omnia autem bona nos habere a Deo juxta illud 1. Cor. 4.7. *quid habes, quod non accepiſti?* Præterea certum eſſe, quod nullus ſuæ ſalutis æternæ divinæque gratiæ, præcipue finalis, certitudinem infallibilem habere poſſit; (*neſcit* enim *homo utrum odio, an amore dignus ſit. Eccl. 9. 1.* ideo æquum eſſe, ut quisque ſemper paveat, & cum metu & tremore ſalutem ſuam operetur, ut ait Apoſtolus Philipp. 2. 12.

IV. *Adverſus tentationem Impatientiæ.* Si infirmus ob morbi cruciatus impatientia afficitur, huic oſtendatur, quanta Martyres pro Chriſti nomine tormenta ſint paſſi, vivi excoriati,

aduſti, trucidati &c. Præſertim vero ob oculos ei ponantur omnia, quæ innocens Servator noſter ex noſtri amore ſit paſſus. Dicatur etiam infirmo, quod infirmitatis dolores vitari nequeant; unde ſi invitus eos patitur, male & hic & in altera vita ſe habiturus ſit. Si vero patienter eosdem ferat, non ſolum hic a morbi pœna ſit levandus, ſed ibi, vel nulla, vel minora purgatorii tormenta ſit luiturus, magis in cœlo poſtea remunerandus: *triſtitia veſtra convertetur in gaudium.* Moneatur denique, quod extremi vitæ noſtræ cruciatus noſtram compleant æternam coronam; quoniam ut ait S. Bonaventura, pœnas patienter tolerare, aliis cunctis operibus perfectius opus eſt, juxta illud Jacobi 1. 4. *patientia opus perfectum habet.* Ita nempe Deus ſuos in hac vita amicos tractare ſolet; quia crux eſt noſtræ prædeſtinationis ſecuriſſimum ſignum. Beata Clara annis viginti & octo,

San-

Sancta vero Ludovina triginta & octo annis infirmitatum pondus patienter tulit. Hinc miſeros nos viatores inter ſæculi hujus ætrumnas Apoſtolus conſolatur dicendo: *momentaneum & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4.* & alibi: *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom. 8. 18.* Quare his & ſimilibus ſedulo curet Sacerdos eo ægrum permovere; ut ſe voluntati divinæ conformet, non ſolum ſi dolores patiatur acerbos; ſed etiam ſi medici errent, aliique ejus curam habere negligant: unde crebro eum moneat, ut a Deo ſibi patientiam expoſtulet.

V. *Adverſus tentationem horroris mortis in immatura adhuc & vegeta ætate.* His ob oculos ponantur præſentis vitæ miſeriæ, infirmitates, animi angores, nec non peccandi, & æternæ ſalutis amittendæ quotidiana pene pericula. Ideo Sancti viri tam avide mor-

tem optabant. S. Thereſia ajebat: *heu mihi, quia in omni vitæ meæ momento Deum amittere poſſum;* unde quoties horologium ſonabat, toties ſibi valde gratulabatur, quod rurſus una hora hujus periculi ſit transacta. Martyres ſancti hilares ad patibula procedebant, ut citius hoc periculum effugerent, & Deo fruerentur. Hinc dicitur in Apoc. 14. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur - - - ut requieſcant a laboribus ſuis.* In hac enim lachrimarum valle viatores ſumus, *qui non habemus hic manentem civitatem. Hebr. 13. 14.* Nam unusquisque ſeu Rex, ſeu Pontifex, ſeu feliciſſimus in mundo ſit, mortem ſubire debet, quocunque tempore adveniat, & a Deo per hanc ex hoc mundo evocetur.

Hortetur itaque Sacerdos infirmum, ut Deo potius gratias agat, quod non morte improviſa, non eo tempore, quo erat in peccato gravi, eum mori permiſerit, ſed nunc rite proviſum,

&

& Sacramentis munitum ad ſe evocet. Dicat præterea ægroto ita de immatura morte querenti : *Frater mi! conformes te, oportet, divinæ voluntati, quæ omnia in noſtrum bonum diſponit. Quis ſcit, an ſi amplius viveres, animam non perderes?* ſed dicet infirmus: *ego vivere optarem, ut aliquam de meis culpis ſatisfactionem Deo præſtem, & aliquid boni ante mortem agam; quia uſque adhuc nihil egi.* Reſpondeat Sacerdos: *Fili! nulla Deo pœnitentia tam grata eſt, quam mortis in peccatorum expiationem acceptatio; nullus actus perfectior, quam in acceptanda morte divinæ ſe voluntati conformare.*

Omne bonum noſtrum & vita conſiſtit in eo, ut conformemur Dei voluntati, juxta illud Pſal. 29. *vita in voluntate ejus.* Deus ſiquidem optime ſcit, & vult ea, quæ nobis meliori ſunt bono. Cum S. Gertrudi Chriſtus apparuiſſet, mortem & vitam offerens, reſpondit illa: *Domine quod tu*

*vis, & ego volo.* Pariter S. Catharina Senenſis, cum ei JEſus duplicem coronam, gemmarum unam, ſpinarum alteram obtuliſſet, repoſuit: *ego eligo, quæ tibi placet.*

VI. *Adverſus tentationem adhæſionis ad bona & ſanguine conjunctos.* His, quibus propter bona, quæ habent, mori diſplicet, dicat Confeſſarius: hæc non eſſe vera bona, cum ſint tranſeuntia & brevi defectura: & ſi non deficerent etiam, potius angunt hominem, quam ſolantur &c.

Si autem affligantur infirmi propter uxorem, filios, aut nepotes, quos tenere diligunt, & deſerere coguntur, hos blande ſic hortetur: *Fili mi! ſtatutum eſt omnibus mori, omnes te ordine ſequentur; nunc tuæ ſaluti conſule & animam tuam ſalva, tum ipſis, in cœlo pro iis orando, melius proſpicies, ubi una cum illis aliquando beatus ſis in æternum. Sed nunc quid melius, quid ſuavius, & jucundius, quam proficiſci eo, ubi cum tuo JEſu, cum Matre*

*tua Maria, & omnibus Sanctis beatus æternum vivas.*

In paradyſum deducant te Angeli: in tuo adventu ſuſcipiant te Martyres, & perducant te in civitatem ſanctam Jeruſalem.

Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

*Cum autem pervenerit ad ſepulturam, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc orationem:*

Oremus.

Deus, cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, hunc tumulum benedicere dignare, eique Angelum ſanctum tuum deputa Cuſtodem; & quorum, quarumque corpora hic ſepeliuntur, animas eorum

ab omnibus abſolve vinculis delictorum, ut in te ſemper cum Sanctis tuis ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

*Dicta oratione, aſpergat ſepulchrum, dicendo:*

Sanctificetur iſtud ſepulchrum. In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus † Sancti. Amen.

*Tunc funus ponatur in ſepulchrum dicente Sacerdote:*

Summe terra, quod tuum eſt: ſummat Deus, quod ſuum eſt: corpus de terra formatum eſt, ſpiritus de ſurſum inſpiratus eſt.

*Aſpergatur poſtea funus aqua benedicta, & dicatur:*

Rore cœleſti reficiat animam tuam Deus, in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus † Sancti.

℞. Amen.

*Et thurificetur dicendo:*

Odore cœleſti paſcat animam tuam Deus, in nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus † Sancti. ℞. Amen.

*Dein-*

*Deinde Sacerdos pala ter projiciens terram ſuper funus, dicat:*

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

*Poſtea dicat Sacerdos:*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animam ejus.

℣. Requieſcat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℟. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Fac, quæſumus, Domine, hanc cum ſervo tuo defuncto (vel famula tua defuncta) miſericordiam, ut factorum ſuorum in pænis non recipiat vicem, qui (vel quæ) tuam in vo-

tis

tis tenuit voluntatem, ut, ſicut hic eum (vel eam) vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eum (vel eam) tua miſeratio ſociet Angelicis Choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Requieſcat in pace.

℟. Amen.

Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum, per miſericordiam Dei requieſcant in pace. ℟. Amen.

*Deinde a ſepultura ad Eccleſiam, vel Sacriſtiam revertentes dicant ſine cantu antiphonam:* Si iniquitates. *cum pſalmo:* De profundis &c. Requiem æternam dona ei Domine &c. *ut ſupr.*

## Ordo exequiarum & ſepulturæ Parvulorum.

*Cum infans vel puer babtizatus, defunctus fuerit ante uſum rationis, imponitur ei corolla de floribus vel herbis odo-*

*odoriferis in ſignum integritatis carnis & virginitatis ; Parochus vero ſuperpelliceo vel pluviali & ſtola albi coloris indutus, cum aliis, ſi adſint, de Clero, præcedente cruce & miniſtro, qui aquam benedictam & thuribulum cum thure deferat, accedit ad fores aut domum defuncti, & aſpergens corpus, cantat, vel dicit antiphonam :* ſit nomen Domini &c.

*Pſalmus 112.*

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occaſum: laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: & ſuper cœlos gloria ejus.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cœlo & in terra?

Suſcitans a terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum Principibus: cum Principibus populi ſui.

Qui

Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Antiph.* Sit nomen Domini benedictum ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

*Poſtea dicitur:* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c. *Secreto. Interim aſpergit corpus.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti.

℟. Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

## Oremus.

Omnipotens, & mitiſſime Deus, qui in omnibus parvulis renatis fon-

fonte baptiſmi, dum migrant a ſæculo, ſine ullis eorum meritis, vitam illico largiris æternam, ſicut animæ hujus parvuli hodie credimus te feciſſe; fac nos, quæſumus, Domine, per interceſſionem beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiſo cum beatis parvulis perenniter ſociari. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

*Dum portatur ad Eccleſiam, vel Cæmeterium dicatur:*

*Pſalmus 118.*

Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus: in toto corde exquirunt eum.

Non enim, qui operantur iniquitatem: in viis ejus ambulaverunt.

Tu mandaſti: mandata tua cuſtodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ: ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.

Tunc

Tunc non confundar: cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici judicia juſtitiæ tuæ.

Juſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelinquas uſquequaque.

In quo corrigit adoleſcentior vitam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.

In toto corde meo exquiſivi te: ne repellas me a mandatis tuis.

In toto corde meo abſcondi eloquia tua: ut non peccem tibi.

Benedictus es Domine: doce me juſtificationes tuas.

In labiis meis: pronuntiavi omnia judicia oris tui.

In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum: ſicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor: & conſiderabo vias tuas.

In juſtificationibus tuis meditabor: non obliviſcar ſermones tuos.

Glo-

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Cum autem pervenerit ad Eccleſiam vel Cœmeterium, dicatur:*

*Antiph.* Hic accipiet.

*Pſalmus 23.*

Domini eſt terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum & univerſi, qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundavit eum: & ſuper flumina præparavit eum.

Quis aſcendet in montem Domini: aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum; quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

*Antiph.* Hic accipiet benedictionem a Domino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo; quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

*Interea ad ſepulchrum perveniens, illud aſpergat aqua benedicta, atque thurificet, dicens:*

Sanctificetur ſepulchrum iſtud. In nomine Patris†, & Filii†, & Spiritus† ſancti. ℟. Amen.

Cum

*Cum deinde parvuli funus in ſepulchrum ponitur, dicit:*

Summe terra, quod tuum eſt: ſummat Deus, quod ſuum eſt: corpus de terra formatum eſt, ſpiritus de ſurſum inſpiratus eſt. *Et ſtatim illud aſpergit aqua benedicta, & thurificat. ut ſupra fol. 422.*

*Deinde pala ter injiciat terram, dicendo:* Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

*Poſtea dicit.* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣ Sinite parvulos ad me venire,

℟. Talium eſt enim regnum cœlorum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens, ſempiterne Deus, ſanctæ puritatis amator, qui animam hujus parvuli ad cœlorum regnum

gnum hodie miſericorditer vocare dignatus es; digneris etiam, Domine, ita nobiscum miſericorditer agere, ut meritis tuæ ſanctiſſimæ paſſionis, & interceſſione beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis & Electis tuis ſemper facias congaudere.

Deus, in cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt, famulis & famulabus tuis omnibus hic, & ubique in Chriſto quieſcentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

℣. Requieſcant in pace.

℟. Amen.

## Exercitium variarum benedictionum in Eccleſia receptarum.

*Sacerdos his aliisque benedictionibus uſurus, noverit bene, quarum rerum benedictiones ad ipſum vel ad Epiſcopum*

*pum ſuo jure pertineant, ne quid facultatem ſuam ordinariam excedens, temere & imperite pro ſua authoritate ſuſcipiat, ac uſurpet. Deinde has regulas in omnibus benedictionibus communes & generales diligenter obſervet.*

*In omni benedictione extra miſſam Sacerdos ſaltem ſuperpelliceo & ſtola pro ratione temporis utatur, niſi aliter in rubricis notetur.*

*Stando ſemper & aperto capite benedicat.*

*In principio cujuscunque benedictionis dicat :* ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

*Deinde dicatur oratio propria, una vel plures, prout ſuo loco notatum fuerit ; ac in his orationibus ſeu precibus, ubi mentio Sanctorum fit, nomina quoque Sanctorum propriæ Eccleſiæ aut Diœceſeos addi poſſunt. Rem*

*quamvis aqua benedicta aſpergat, & ubi notatum fuerit, pariter incenſet, nihil dicendo.*

*Cum Sacerdos aliquid benedicturus eſt, habeat miniſtrum cum vaſe aquæ benedictæ & aſpergillo.*

*Caveat denique, ne benedictionis cauſa ponat aliquid indecens ſuper altare: cujuſmodi ſunt eſculenta aut poculenta &c. ſed hæc ponantur ſuper menſam, commodo loco paratam.*

## Benedictio

### Mulieris poſt partum.

*Si quæ puerpera poſt partum, juxta piam ac laudabilem conſuetudinem ad Eccleſiam venire voluerit, pro incolumitate ſua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote benedictionem, ipſe ſuperpelliceo & ſtola alba indutus, cum miniſtro aſpergillum deferente, ad fores Eccleſiæ accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem, & candelam accenſam in manu tenentem, aqua benedicta aſpergat, deinde dicat:*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram. &c.

*Antiph.* Hæc accipiet benedictionem a Domino.

*Pſalmus 23.*

Domini eſt terra & plenitudo ejus: orbis terrarum & univerſi, qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundavit eum: & ſuper flumina præparavit eum.

Quis aſcendet in montem Domini: aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

Hæc accipiet benedictionem a Domino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo; quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

*Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem ſtolæ, eam introducit ad Eccleſiam, dicens:*

Ingredere in templum Dei, adora Filium beatæ Mariæ Virginis, qui tibi facultatem tribuit prolis.

*Et*

*Et ipſa ingreſſa genufleẹtit coram altari, & orat, gratias agens Deo de beneficiis ſibi collatis, & Sacerdos ſtans verſus mulierem dicit:*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. &c. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.

℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.

℟. Et de Sion tuere eam.

℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in ea.

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens, ſempiterne Deus, qui per beatæ Mariæ Virginis partum, fidelium parientium dolores in gaudium vertiſti: reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam, ad templum ſanctum tuum pro gratiarum actione lætam accedentem, & præſta; ut poſt hanc vitam ejusdem Mariæ meritis & interceſſione ad æternæ beatitudinis gaudia cum prole ſua pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Deinde illam aſpergit iterum aqua benedicta in modum crucis dicens:*

Pax & Benedictio Dei omnipotentis, Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Be-

# Benedictio

## Aquæ Luſtralis ordinariæ, quæ in templis aut domibus fidelium adhibetur.

*Diebus dominicis, & quandocunque opus fuerit, præparato ſale, & aqua munda benedicenda in Eccleſia vel in Sacriſtia, Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola violacea indutus, primo dicit:*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram. &c.

*Deinde abſolute incipit exorciſmum ſalis.*

Exorcizo te creatura ſalis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † ſanctum, per Deum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ: ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium, & ſis, omnibus ſumentibus te, ſanitas

animæ & corporis: & effugiat, atque diſcedat a loco, in quo aſperſum fuerit, omnis phantaſia, & nequitia, vel verſutia diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

℟. Amen.

Oremus.

Immenſam clementiam tuam, omnipotens, æterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam ſalis, quam in uſum generis humani tribuiſti, benedicere † & ſanctificare † tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & quidquid ex eo tactum, vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

*Exorciſmus aquæ: & dicatur ſine Oremus:*

Ex-

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei Patris † omnipotentis, & in nomine Jeſu † Chriſti Filii ejus Domini noſtri, & in virtute Spiritus † Sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici; & ipſum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis ſuis apoſtaticis, per virtutem ejusdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

℟. Amen.

Oremus.

Deus, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis † infunde, ut creatura tua myſteriis tuis ſerviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum, ut quidquid in domibus, vel

in locis fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens; diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici; & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat, ut ſalubritas per invocationem ſancti tui nominis expetita, ab omnibus impugnationibus ſit defenſa. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum &c.

*Hic mittat ſal in aquam in modum crucis, dicendo ſemel:*

Comixtio ſalis, & aquæ pariter fiat: In nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † ſancti.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis imperii rex, ac ſemper magnificus triumphator: qui ad-

adverſæ dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis ſævitiam ſuperas: qui hoſtiles nequitias potenter expugnas: te, Domine, trementes ac ſupplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices, ut ubicunque fuerit aſperſa, per invocationem ſancti tui nominis, omnis infeſtatio immundi ſpiritus abigatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia ſancti Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

## Benedictio

Aquæ ſub invocatione S. Ignatii Lojolæ, vel S. Franciſci Xaverii.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine, ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis; ad invocationem nominis tui benignus aſſiſte; (intercedente S. Ignatio, *vel* Franciſco Xaverio Confeſſore tuo), ut famulos tuos, ab ægritudine liberatos, & ſanitate donatos, dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ ſanctæ cum omni proſperitate reſtituas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

℟. Amen.

Benedic † Domine hanc aquam; ut ſit remedium ſalutare generi humano, & per interceſſionem S. Ignatii (*vel* Franciſci Xaverii) cujus reliquiæ in eam imerguntur (*vel* cujus imago in eam immergitur), præſta; ut, quicunque ex illa ſumpſerint, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant, per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Oremus.

Deus, qui ad majorem nominis tui gloriam propagandam novo per S. Ignatium ſubſidio militantem Eccleſiam roboraſti; concede propitius: ut ejus auxilio & imitatione certantes in terris, coronari mereamur cum ipſo in cœlis. Qui vivis, & regnas &c. ℟. Amen.

*Si vero benedicatur aqua ſub invocatione S. Franciſci Xaverii, hujus loco dicatur ſequens oratio:*

Deus, qui Indiarum gentes S. Franciſci Xaverii prædicatione Eccleſiæ tuæ aggregare voluiſti; conce-

de propitius; ut, cujus glorioſa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum noſtrum &c. ℟. Amen.

Confer benigniſſime Domine Deus per contactum reliquiarum (*vel* imaginis) S. Ignatii (*vel* Franciſci Xaverii) Confeſſoris tui aquæ huic virtutem ſanandi corpus & animam, depellendique omnia mala & adverſantia ab eo loco, ubi fuerit adhibita, ejusque incolis, in nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † ſancti. ℟. Amen.

*Reliquiæ, vel in harum defectu numiſma aut imago, quæ has attigit, immerguntur aquæ ab initio uſque ad finem benedictionis.*

## Benedictio

### Areæ ſeu Horrei frumentarii.

*Sacerdos totam Aream ſeu Horreum aſpergat aqua benedicta, dicens:*

*An-*

*Antiph.* Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor.

*Pſalmus.* Miſerere mei Deus. &c. *fol. 190.* Gloria Patri. &c.

*Antiph.* Aſperges me, &c.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

Oremus.

Multiplica, quæſumus, Domine in hac area frumenti dona: & ſicut fidelibus tuis tricenarium, vel ſexagenarium, vel centeſimum fructum donare conſuevisti; ita & famulis tuis præſenti tempore uberius tuæ liberalitatis dona largire, & ſuper eum bene†dictionis tuæ virtutem infunde. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Omnipotens, & miſericors Deus, qui ubique præſens es, majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut huic Horreo tua gratia adeſſe, & quævis adverſantia tua benignitate ab eo repellere, & in illud abundantiam

tuæ

tuæ bene†dictionis largiter effundere digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Benedictio Dei Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † Sancti deſcendat ſuper hanc Aream, & ſuper ea, quæ in ea reconduntur, & maneat ſemper, ℟. Amen.

## Benedictio

### Annulorum ſponſalitiorum.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Benedic † Domine annulos hos, quos nos in tuo nomine benedicimus, † ut, qui eos geſtaverint, fidem

dem integram ſibi invicem tenentes, in pace & voluntate tua permaneant, atque in mutua charitate ſemper vivant. Per Chriſtum Dominum noſtrum, ℟. Amen.

Oremus.

Creator & Conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, conditor æternæ ſalutis, tu Domine emittere digneris ſpiritum ſanctum tuum paraclitum de cœlis & tuam ſanctam benedictionem ſuper annulos iſtos, ut ſint armatura potens contra omnes poteſtates diabolicas: & ego in tuo nomine hos bene†dico, & ſancti†fico. In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † Sancti. Amen.

*Aſpergantur deinde aqua benedicta.*

## Benedictio

Aquæ ad ſanandos languores, tumores, plagas, aliosque morbos infirmorum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Te

## Oremus.

Te, Deus magne & omnipotens, principium & finis, qui aquæ Piſcinæ virtutem ſanandi omnem languorem & infirmitatem dare voluiſti ejus, qui poſt motionem aquæ ab Angelo factam, deſcendiſſet in eam, te humiliter deprecor, ut huic aquæ, pro tua pietate virtutem ſanandi omnem languorem tribuere digneris in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis Patris †, & Filii †, & Spiritus† ſancti, nec non ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, omnium Angelorum, Sanctorum, atque Sanctarum tuarum. Am.

O piiſſima Virgo Maria, humani generis adocata! ecce appono hanc aquam in conſpectu tuo, teque humiliter deprecor, ut intercedere digneris apud unigenitum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut huic aquæ concedat virtutem ſanandi omnes infirmitates & omne malum, quod poteſt miſeris evenire infirmis. Exaudi Benigniſſima

pre-

preces noſtras. Suſcipe clementiſſima vota noſtra: & ſicut es ſalus infirmorum; ita nunc impetrare dignare, ut hæc unda ſit remedium ſalutare quibuslibet ægrotantibus; ut ſanitate utriusque hominis recepta perenniter deſerviant Filio tuo Domino noſtro, & ejus Patri, qui cum eo vivit, & regnat Deus, &c.

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ut veſtris deprecationibus Bene†dictio, & gratia omnipotentis Dei deſcendat in hanc aquam. Bene†dico te aqua, cum benedictione tibi data, quando Chriſtus in Jordane fuit a Joanne baptizatus. Bene†dico te aqua, cum privilegio, quo decorata fuiſti, quando a Chriſto in vinum converſa fuiſti. Bene†dico te aqua, cum virtute, quæ tibi data fuit in natatoria Siloe. Bene†dico te aqua, per ſacra Myſteria in te repræſentata, quando cum ſacratiſſimo ſanguine de latere Chriſti in cruce fluxiſti.

Be-

Bene†dico te aqua, per pretium paſſionis Chriſti, per puritatem ejus Virginis Matris, per humilitatem Patriarcharum, per devotionem Prophetarum, per tolerantiam Apoſtolorum, per conſtantiam Martyrum, per fiduciam Confeſſorum, per perſeverantiam Virginum, per continentiam Viduarum, per merita omnium Electorum Dei; & auctoritate ſacerdotali in te infundo omnem ſpiritualem virtutem, qua omni contagio reſiſtere, & quemcunque ab eo oppreſſum ſanare poſſis. In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti. Amen.

*In fine aſpergatur hæc aqua, benedicta ordinaria: quæ deinde ipſi infirmo aſpergi, vel bibenda dari poterit, vel etiam ipſum ejus membrum languidum illa tangi, aut abſtergi.*

## Benedictio
### Candelarum in Feſto S. Blaſii.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Ore-

Oremus.

Omnipotens & mitiſſime Deus, qui omnium mundi rerum diverſitates ſolo verbo creaſti: & ad hominum reformationem, illud idem Verbum, per quod facta ſunt omnia, incarnari voluiſti; qui magnus es, & immenſus, terribilis, atque laudabilis, ac faciens mirabilia: pro cujus fidei confeſſione, glorioſus Martyr & Pontifex Blaſius, diverſorum tormentorum genera non paveſcens, martyrii palmam feliciter eſt adeptus: cui inter cœteras gratias hanc prærogativam contuliſti; ut quoscunque gutturis morbos tua virtute curaret: Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus: ut non intuitu reatus noſtri, ſed ejus placatus meritis & precibus hanc Ceræ creaturam bene✝dicere, ac ſanctificare tua venerabili pietate digneris, tuam gratiam inſundendo, ut omnes, quorum colla per eam ex bona fide tacta fuerint, a quocunque gutturis morbo, ipſius

paſ-

paſſionis meritis liberentur , & in Eccleſia ſancta tua ſani & hilares, tibi gratiarum referant actiones, laudentque nomen tuum glorioſum, quod eſt benedictum in ſæcula ſæculorum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

*Aſpergatur aqua benedicta. Deinde Sacerdos terminata miſſa, depoſita caſula & manipulo, accenſis duobus cereis ac in modum crucis aptatis, apponens illa ſub mento gutturi cujusvis benedicendorum, ipſis ante altare genuflectentibus, dicat:*

Per interceſſionem S. Blaſii Epiſcopi & Martyris liberet te Deus a malo gutturis, & a quolibet alio. In nomine Patris, & Filii, † & Spiritus ſancti. Amen.

## Benedictio

Candelarum in Feſto ſanctorum Joannis & Pauli quæ contra noxias tempeſtates accendi ſolent.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Ore-

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte! Fili Dei vivi! bene†dic candelas iſtas ſupplicationibus noſtris; infunde eis, Domine, per virtutem ſanctæ cru†cis & merita ſanctorum Martyrum tuorum Joannis & Pauli bene†dictionem cœleſtem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti: talemque benedictionem ſignaculo ſanctæ crucis accipiant, ut quibuscunque in locis accenſæ, ſeu poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, fugiantque pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis, nec jactent grandinem aut tempeſtates in poſſeſſionibus & finibus eorum, ſed eas immergant in mare ſine omni ullius damno, nec præſumant amplius inquietare, aut moleſtare ſervientes tibi omnipotenti Deo, qui vivis, & regnas cum Deo Patre &c.

Ore-

Oremus.

Omnipotens, æterne Deus, parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus, per merita ſanctorum Martyrum tuorum Joannis & Pauli te rogamus, ut per hos benedictos cereos omnes noxios imbres, vimque procellarum, & comminationem tempeſtatis tranſire facias per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Deinde flexis genibus dicitur.*

*Antiphon.* Iſti ſunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum, & habent poteſtatem claudere cœlum, & aperire portas ejus; quia linguæ eorum claves cœli factæ ſunt.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Juſti autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum eſt merces eorum.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Quæſumus omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ feſtivitatis excipiat, quæ de beatorum Joannis & Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides & paſſio vere fecit eſſe germanos. Per Dominum noſtrum &c.

*Hic aſpergantur candelæ aqua luſtrali dicendo :*

Benedictio Dei omnipotentis, Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti deſcendat ſuper cereos iſtos, ac fructus terræ, & maneat ſemper.

℟. Amen.

## Benedictio

Candelarum Confraternitatis SS. Roſarii.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

## Oremus.

Domine Jeſu Chriſte lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde per interceſſionem B. V. Mariæ Matris tuæ, & per quindecim ejus Roſarii myſteria, bene†dictionem tuam ſuper hos cereos & candelas, & ſanctifica eas † lumine tuæ gloriæ; & concede propitius, ut, ſicut hæc luminaria igne viſibili accenſa nocturnas depellunt tenebras, ita corda noſtra inviſibili igne, id eſt, Spiritus ſancti † ſplendore illuſtrata, omnium vitiorum cæcitate careant, ut puro mentis oculo cernere poſſimus, quæ tibi placita ſunt, & noſtræ ſaluti utilia: quatenus poſt hujus ſæculi caliginoſa diſcrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis & regnas, &c.

*Aſpergantur in fine aqua benedicta.*

Be-

# Benedictio
## Crucis novæ.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

Oremus.

Rogamus te, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut digneris benedicere † hoc ſignum Crucis, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, ſit ſolamen, & protectio, ac tutela contra ſæva jacula inimicorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

Benedic † Domine, hanc Crucem tuam, per quam eripuiſti mundum a dæmonum poteſtate, & ſuperaſti paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti ſumptionem.

*Hic aſpergatur aqua benedicta, & dicatur:*

Sanctificetur hoc ſignum Crucis, in nomine Patris † & Filii † & Spiritus † ſancti, ut orantes inclinanteſque ſe propter Dominum ante iſtam Crucem, inveniant corporis & animæ ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſtea Sacerdos genuflexus ante crucem, devote eam adorat, & oſculatur, & idem faciunt quicunque voluerint.*

## Benedictio

### Crucis erigendæ in campis vel vineis ad repellendas aereas tempeſtates a S. Carolo Baromæo introductæ.

*Antequam in campo Crux erigatur, providendum eſt vel de reliquiis Sanctorum, vel cruce hiſpanica benedicta, aut ſimilibus, quæ cruci erigendæ incudi poſſunt. Si longior ſit via ad locum, ubi Crux erigitur, dici poſſunt lytaniæ omnium Sanctorum, hymnus:* Vexilla regis, *vel pſalmi ex breviario, feria*

*feria ſexta Paraſceves notati &c. Ubi ad locum pervenitur, progrediatur Sacerdos incipiendo benedictiones :*

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Bene†dic Domine, & ſancti†fica ſignaculum iſtud paſſionis tuæ ſacræ, ut ſit inimicis tuis obſtaculum; & credentibus perpetuum perfice auxilium. Qui vivis & regnas &c.

*Hic cruci aſpergatur aqua benedicta dicendo :*

Sanctificetur iſtud lignum in nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti, ut orantes & inclinantes ſe propter te Domine ante iſtam crucem inveniant ſanitatem corporis & animæ. Amen.

Per effuſum ſanguinem Jeſu Chriſti & per lignum ſanctæ crucis deſcendat, ac liberet Deus hos campos (*vel* vineas) a tempeſtatibus & ſimul omnibus diabolicis inſidiis. JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Ecce Crucem † Domini! fugite partes adverſæ, vicit Leo

de tribu Juda, radix David. Hoc ſignum crucis † erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Fugite inimici crucis † per nativitatem, per paſſionem, mortem, & reſurrectionem Jeſu Chriſti diſſipentur, deſtruantur, & annihilentur opera omnia diaboli his campis (*vel* vineis) contraria. In nomine Pa†tris, & Fi†lii & Spiritus † ſancti. Amen.

Oremus.

Omnipotens, ſempiterne Deus, qui clementiæ tuæ diſpoſitione cuncta ex nihilo creaſti, hanc crucem in honorem dilectiſſimi Filii tui, Domini noſtri Jeſu Chriſti bene†dicere, & ſancti†ficare digneris; & præſta per invocationem ſanctiſſimi nominis Jeſu Chriſti, Filii tui, quem pro ſalute generis humani, ex Maria Virgine, incarnari voluiſti, ut precibus ejusdem quoque ſacratiſſimæ Virginis quicunque dilectum Filium tuum coram hac crucis effigie ſuppliciter

citer honorare ſtuduerint, & de inſtantibus periculis eruantur, atque in conſpectu divinæ maieſtatis tuæ veniam ſuorum peccatorum impetrent; atque mereantur in præſenti gratiam, quam deſiderant impetrare, & in futuro perpetua cum electis tuis valeant ſalvatione gaudere. Per Dominum noſtrum &c.

*Antiph.* O Crux, ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, ſanctior univerſis: quæ ſola fuiſti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: ſalva præſentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam.

℣. Omnis terra adoret te, & pſallat tibi.

℟. Pſalmum dicat nomini tuo Domine.

Oremus.

Adeſto nobis, Domine Deus noſter, ut, quos ſanctæ crucis lætari facis honore, eos quoque per-

petuis defende ſubſidiis. Per Dominum noſtrum &c.

*Poſt hæc ponat Sacerdos, ſi non dum prius fuerint impoſitæ, in quatuor partibus extremis & medio crucis ſupradictas reliquias, vel ceram papalem, vel cruces hiſpanicas &c. Aſpergat rurſus aqua luſtrali, & incenſet crucem: quibus finitis ea erigatur, & ab adſtantibus adoretur; dum interea hymnus:* Vexilla regis, *rurſus vel recitetur, vel cantetur. Tum denique Sacerdos dicat:*

℣. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi.

℟. Quia per crucem tuam redemiſti mundum.

Oremus.

Deus, qui nos hodierna die exaltatione ſanctæ crucis devotione lætificas: præſta, quæſumus; ut cujus myſterium in terris cognovimus, ejus quoque redemptionis præmia in cœlo mereamur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

In

*In fine adſtantes aſpergantur aquâ benedicta, & diſcedant.*

## Benedictio domorum communis.

*Sacerdos volens aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium quocunque anni tempore benedicere, & aqua luſtrali aſpergere, ingrediens domum dicat:* ℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

*Deinde partes ejus, ſeu loca diverſa aſpergendo dicat antiphonam:* Aſperges me. *Pſalmum.* Miſerere mei Deus &c. *fol. 190.* Gloria Patri &c. *& repetitur antiphona:* Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. ℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. ℟. Et ſalutare tuum da nobis ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Deinde aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio

### Domus novæ.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Te Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus pro hac domo, & habitatoribus ejus, ac rebus: ut eam benedicere †, ſanctificare †, ac bonis omnibus ampliare digneris; tribue eis, Domine, de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum

tuæ miſerationis perducas. Ad Introitum ergo noſtrum benedicere †, & ſanctificare † digneris hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac, & Jacob: & intra parietes domus iſtius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque, & ejus habitatores cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*In fine ejus diverſa loca ſeu habitationes aſpergantur aqua benedicta.*

## Bendictiones
### Seu Thurificationes Domorum.

*In vigilia Nativitatis, Profeſto Circumciſionis, & Vigilia Epiphaniæ Domini.*

*Poſt veſperas Sacerdos cum miniſtris portantibus thuribulum, naviculam cum thure, & vas cum aqua benedicta, ſuperpelliceo & ſtola alba indutus, imponit incenſum thuribulo, more conſueto illud benedicens, & circumeundo*

*lente præcipua domus loca & cubicula, thurificat ea, & aqua luſtrali aſpergit, dicens diſtinčte, quæ infra ponuntur. Quod ſi vero duo adſint Sacerdotes; unus incenſat, alter aſpergit, ſequentia alternis verſibus recitantes:*

*In Vigilia Nativitatis Domini.*

*Antiphona:* Hodie ſcietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam ejus. *Pſalmus 50.* Miſerere mei Deus &c. *fol. 190.* Gloria Patri &c.

## Canticum.

Magnificat: anima mea Dominum Et exultavit ſpiritus meus: in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen ejus.

Et miſericordia ejus a progenie in progenies: timentibus eum.

Fe-

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: & exaltavit humiles.

Eſurientes implevit bonis: & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros: Abraham & ſemini ejus in ſæcula.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto &c.

*Antiphona*: Hodie ſcietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam ejus.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem veri luminis feciſti illuſtratione clareſcere: da quæſumus, ut cujus lucis myſteria in terris cognovimus, ejus quoque gaudiis in cœlo perfruamur: Per eundem Dominum noſtrum, &c.

℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiscum. ℟. Amen.

*In Profeſſo Circumciſionis Domini.*

*Antiph.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Alleluja. *Pſalmus* Miſerere mei Deus, &c. *cum Cantico.* Magnificat, &c. *ut ſupra foliis citatis; quibus finitis, repetitur Antiph.* Ecce Maria, &c. *Et ſubjungitur* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui ſalutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fœcunda humano generi prœmia præſtitiſti; tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, &c. ℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiscum. ℟. Amen.

In

*In Vigilia Epiphaniæ Domini.*

*Antiph.* Apertis theſauris ſuis, obtulerunt Magi Domino aurum, thus, & myrrham, Alleluja. *Pſalm.* Miſerere &c. Magnificat, &c. *ut ſupra. Repetitur deinde Antiph.* Apertis theſauris, &c. *& dicitur* ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus ſtella duce revelaſti: concede propitius, ut qui jam te ex fide cognovimus, uſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

## Benedictio

Alia brevior Domorum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Bene✝dic, Domine Deus omnipotens, locum iſtum, ut ſit in eo ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, hu-

humilitas, bonitas, & manſuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; & hæc benedictio maneat ſuper hunc locum, & ſuper habitantes in eo, nunc, & in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

*In fine incenſetur locus, & aſpergatur aqua benedicta more conſueto, & formula ſolita.*

## Benedictio

### Domus a periculo ignis præſervandæ.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

### Oremus.

Defende, quæſumus, Domine, locum iſtum, (*vel* domum iſtam,) a majoribus uſque ad minimos, cum pecoribus & rebus ſuis, ab igne, ab infirmitate, & tempeſtate, ab ira ventura, ab omnibus tribulationibus diaboli, & ab inſidiis inimici, & tu,

Deus,

Deus ſis habitator, & cuſtos, & eam ab omni igne cuſtodi. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. *Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio

Communis ſuper fructus agrorum, pratorum, vinearum, & hortorum.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

Oremus.

Te Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices deprecamur, ut pro miſericordia tua jugiter nobis concedas ſufficientem meſſium copiam, & fructuum omnium largitatem, vinearum quoque ſubſtantiam abundanter: hortorum etiam ac arborum fœtus, rerumque omnium ſuſtentationi noſtræ neceſſariarum proventus: atque ab ipſis omnibus peſtiferum ſidus, tempeſtatis procellam, grandinis furorem, noxiarum beſtiarum vaſtationem, & univerſa mala adverſantia removere di-

digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Oremus.

Omnipotens, ſempiterne Deus, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, & preces noſtras benignus exaudi; ut in hos fructus famulorum tuorum veniat ſperatæ Bene†dictionis tuæ ubertas: ut repleti de frugibus tuis, in tuo nomine, de tua gratia ſemper exultemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Domine, ſancte Pater, æterne Deus, majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut has terræ noſtræ fruges agrorum, vinearum, & hortorum ad maturitatem fertilitatis perducere digneris, ut eſurientium animas bonis affluentibus repleat, & egeni ac pauperes de iis edentes, nomen tuum laudent in æternum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Aſper-*

*Aſpergantur aqua benedicta. Si unum ſolum ex illis tribus ( ut vel agri, vel horti, vel vineæ ) benedicendum ſit, tunc in prima, vel ultima oratione reliquorum duorum nomina omittantur.*

# Benedictio

## Fornacis fuſoriæ metallicæ, vel coctoriæ laterum, calcis, aut cujuscunque alterius materiæ.

*Primo aſpergatur fornax aqua benedicta per circuitum ac deinde dicatur:*

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

### Oremus.

Omnipotens, ſempiterne Deus, effunde benedictionem tuam ſuper hunc furnum, eumque bene†dicere, & conſervare tua pietate digneris: ut per gratiam tuam, & bene†dictionem noſtram ad ſummam perfectionem ſuam perveniat. Per Dominum noſtrum, &c. Amen.

Be-

# Benedictio ſeu Preces.

## Ad repellendas noxias aeris tempeſtates.

*Pulſantur pro more recepto campanæ, & in Eccleſiam, qui adeſſe poſſunt, convocatis, dicuntur lytaniæ ordinariæ omnium Sanctorum lingua latina aut vernacula, in quibus bis repetitur:* a fulgure, & tempeſtate, *& poſt lytanias, & orationem dominicam.*

Pſalmus 147.

Lauda Jeruſalem Dominum: lauda Deum tuuum Sion.

Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo ejus.

Qui dat nivem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis ſuſtinebit?

Emit-

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum ſuum Jacob: juſtitias & judicia ſua Iſrael.

Non fecit taliter omni nationi: & judicia ſua non manifeſtavit eis.

Gloria Patri, &c.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.

℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Fiat miſericordia tua Domine, ſuper nos.

℟. Quemadmodum ſperavimus in te.

℣. Salvum fac populum tuum Domine.

℟. Et benedic hæreditati tuæ.
℣. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia.
℟. Domine Deus virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

ORATIO

A domo tua, quæſumus Domine, ſpiritales nequitiæ repellantur, & aerearum diſcedat malignitas tempeſtatum.

Omnipotens, ſempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare ſupplicibus: ut poſt noxios ignes nubium & vim procellarum in materiam tranſeat laudis comminatio tempeſtatum.

Do-

Domine Jeſu, qui imperaſti ventis & mari, & facta fuit tranquilitas magna: exaudi preces familiæ tuæ; & præſta, ut hoc ſigno ſanctæ Crucis † omnis diſcedat ſævitia tempeſtatum.

Omnipotens & miſericors Deus, qui nos & caſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas: præſta ſupplicibus tuis, ut & tranquillitatibus optatæ conſolationis lætemur, & dono tuæ pietatis ſemper utamur. Per Dominum noſtrum, &c.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio

Herbarum in Feſto Aſſumptionis vel alio B. V. Mariæ ad benedicendum afferri a populo quibusdam in locis ſolitarum.

*In feſto Aſſumptionis vel alio B. V. Mariæ ante vel poſt ſolennem, vel aliam etiam miſſam Sacerdos pluviali vel ſuperpelliceo & ſtola indutus ante al-*

*altare, converſus ad populum tenentem herbas vel fructus incipit:*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℞. Qui fecit cœlum & terram.

Pſalmus 64.

Te decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Hieruſalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ; ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter: ſpes omnium finium terræ, & in mari longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum ejus.

Tur-

Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos a ſignis tuis: exitus matutini, & veſpere delectabis.

Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.

Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum; quoniam ita eſt præparatio ejus.

Rivos ejus inebria: multiplica genimina ejus: in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ; & campi tui replebuntur ubertate.

Pingueſcent ſpecioſa deſerti: & exultatione colles accingentur.

Induti ſunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt etenim, hymnum dicent.

Gloria Patri, &c.

℣. Dominus dabit benignitatem.

℟. Et terra noſtra dabit fructum ſuum.

℣. Rigans montes de ſuperioribus ſuis.

℟. De fructu operum tuorum ſatiabitur terra.

℣. Producens fœnum jumentis.

℟. Et herbam ſervituti hominum.

℣. Ut educas panem de terra.

℟. Et vinum lætificet cor hominis.

℣. Ut exhilaret faciem in oleo.

℟. Et panis cor hominis confirmet.

℣. Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.

℟. Et eripuit eos de omnibus interitionibus eorum.

℣. Domine exaudi orationem meam, &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui cœlum, terram, mare, viſibilia, & inviſibilia verbo tuo ex nihilo creaſti; quique herbas, arboresque ad uſus hominum, animaliumque terram gignere, & unumquodque juxta ſementem in ſemetipſo fructum habere præcepiſti: atque non ſolum, ut herbæ animantibus ad victum, ſed

ægris etiam corporibus prodeſſent ad medicamentum, tua ineffabili pietate conceſſiſti, te ſupplici mente & ore deprecamur, ut has diverſi generis herbas, & fructus tua clementia bene†dicas, & ſupernaturalem a te indutam virtutem, eis benedictionis tuæ novæ gratiam infundas, ut ad uſum hominibus, & jumentis in nomine tuo applicatæ, omnium morborum, & adverſitatum efficiantur præſidium. Per Dominum noſtrum, &c.

Oremus.

Deus, qui per Moyſem famulum tuum mandaſti filiis Iſrael, ut manipulos novorum fructuum benedicendos deferrent ad Sacerdotes, tollerentque fructus arboris pulcherrimæ, & lætarentur coram te Domino Deo ſuo; adeſto propitius invocationibus noſtris, & infunde tuæ bene†dictionis abundantiam ſuper nos, & ſuper manipulos novarum frugum, uvarum, herbarum, & fru-

ctuum collectionem, quæ cum gratiarum actione tibi repræſentamus, & in nomine tuo in hac ſolemnitate bene†dicimus; & concede, ut hominibus, pecoribus, pecudibus, & jumentis contra morbos, peſtes, ulcera, maleficia, incantationes, veneficia ſerpentum, & aliorum venenoſorum animalium, & beſtiarum morſus, nec non quæcunque venena remedium præſtent; atque contra diabolicas illuſiones, & machinationes, & fraudes tutamen ferant, in quocunque loco poſitum, vel portatum, aut habitum aliquid ex eis fuerit. Quatenus cum manipulis bonorum operum, meritis Beatæ Mariæ Virginis, cujus Aſſumptionis Feſtum colimus, quo ipſa aſſumpta eſt, ſuſcipi mereamur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

Oremus.

Deus, qui virgam Jeſſe, Genitricem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chri-

Chriſti, hodierna die ad cœlorum faſtigia ideo evexiſti, ut per ejus Suffragia, & Patrocinia fructum ventris illius, eundem Filium tuum, mortalitati noſtræ communicares; te ſupplices exoramus, ut ejusdem Filii tui virtute, ejusque Genitricis glorioſæ patrocinio, iſtorum terræ fructuum præſidiis, per temporalem ad æternam ſalutem diſponamur. Per eundem Dominum noſtrum, &c.

Et Benedictio Dei omnipotentis, Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ ſancti deſcendat ſuper has creaturas, & maneat ſemper. ℟. Amen.

*Poſtea thurificentur herbæ, & aqua benedicta aſpergantur.*

## Benedictio

Imaginum, numiſmatum, annulorum, &c. Servatoris noſtri, Chriſti Crucifixi, B. V. Mariæ, aut aliorum Sanctorum.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Omnipotens, ſempiterne Deus, majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut has icones (*vel* numiſmata *vel* annulos) in quibus glorioſa imago N. expreſſa eſt, bene†dicere, & ſancti†ficare digneris; & præſta: ut quicunque ſub ejus invocatione ad te devote confugerint, (*ſi vero fuerint effigies Crucifixi, omiſſis ſuperioribus, dicitur:* ut quicunque ante has, ad te adorandum, ſe devote inclinaverint) ſalutem mentis & corporis conſequantur; & a cunctis periculis liberentur; & quidquid petierint, obtinere mereantur: per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

Omnipotens, æterne Deus, qui tuam, ac etiam Sanctorum tuorum imagines, ſeu effigies ſculpi aut pingi non repudias: ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties actus & ſanctitatem eorum, ad imitandum animis meditemur; has, quæſumus, imagines (*vel* hanc ſculpturam,

ram, *vel* hæc numiſmata, *vel* hos annulos) in memoriam & honorem NN. adaptatas bene†dicere, & ſanctifficare digneris; & præſta: ut, quicunque coram illis te, & glorioſum Confeſſorem (*vel* Martyrem, *vel* Virginem &c.) N. ſuppliciter honorare ſtuduerint; illius precibus & obtentu a te gratiam in præſenti, & æternam gloriam obtineant in futuro. Per Dominum noſtrum, &c.

*Deinde Sacerdos aſpergat aqua benedicta imagines dicendo:*

Benedicto Dei omnipotentis, Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti, deſcendat ſuper has imagines &c. & ſuper eos, qui illas veneraturi ſunt, & maneat ſemper. ℟. Amen.

# Benedictio

Infirmorum dum oleo ex lampade in honorem cujuscunque Sancti appenſa inunguntur.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.

℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.

℣. Salvam fac ſervum tuum (*vel* ancillam tuam.)

℟. Deus meus ſperantem in te.

℣. Eſto illi Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo, (*vel* ea.)

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper eum, (*vel* eam.)

℟. Quemadmodum ſperavit in te.

*His*

*His dictis ungit in fronte infirmum dicens:*

Per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, B. Felicis, (*vel* Sancti N.) ſecundum ſuam piiſſimam miſericordiam, liberet te Deus a præſenti infirmitate, & omnibus malis mentis & corporis, in nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spi✝ritus ſancti.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos omnipotens, æterne Deus pro famulo (*vel* famula tua N.) quem (*vel* quam) modo in nomine tuo unximus, & intercedente glorioſa Filii tui Genitrice Virgine Maria, B. Felice, (*vel* Sancto N.) & omnibus Sanctis, præſta; ut hujus unctionis virtutem ſentire valeat,

atque ab omnibus malis animæ, & corporis liberetur. Per eum, qui tecum vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

## Benedictio

### Paſchalis agni, carnium, ovorum, & Panis.

*Prodit Sacerdos, amictus ſuperpelliceo & ſtola alba, aſſiſtente miniſtro cum vaſe aqua benedicta referto, dicit ſequentes preces:*

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Deus, qui famulum tuum Moyſen in liberatione populi tui de Ægypto agnum occidi juſſiſti in ſimilitudinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & utroſque poſtes domorum de ſanguine ejusdem agni perungi præcepiſti: ita benedicere † & ſanctificare † digneris hanc creaturam car-

 nis,

nis, quam nos ſamuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus, per reſurrectionem ejusdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

*Proſequitur cæteras benedictiones (quia communiter omnia ſimul commixta, & in uno corbe conjuncta benedictioni præſentantur) uno orationum tractu; ut ſequuntur.*

Subveniat, quæſumus Domine, tuæ benedictionis † gratia huic ovorum creaturæ, ut cibus ſalubris fiat fidelibus tuis in tuarum gratiarum actione ſumentibus, ob reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit, & regnat, &c. ℟. Amen.

Domine Jeſu Chriſte panis Angelorum, panis vivus æternæ vitæ, benedicere † dignare panem iſtum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut omnes ex eo guſtantes in-

de corporis & animæ percipiant ſanitatem. Qui vivis &c.

*Deinde omnia ſimul benedicta aqua luſtrali aſpergit, nihil porro dicens.*

## Benedictio

Panis & aquæ in feſto S. Agathæ contra periculum ignis.

*Pſalmus 66.*

Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Ut cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Be-

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum.

℣. Ora pro nobis B. Agatha.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui es Panis vivus, qui de cœlo deſcendiſti, benedic, & ſancti-† fica hos panes & aquam in honorem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris, ut, ubicumque contra ignem comburentem miſſa, vel poſita fuerit, illico ignis evaneſcat, & penitus extinguatur. Qui vivis, & regnas, &c.

Benedictio Dei omnipotentis Pa-† tris, & Fi†lii, & Spi†ritus ſancti, per interceſſionem B. Agathæ Virginis & Martyris tuæ, deſcendat ſuper has creaturas panis, & aquæ, & maneat ſemper. Amen.

## Benedictio
### Piſcinæ & Piſcium.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

Oremus.

Omnipotens, æterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pa-

ter miſericordiarum, qui piſces in fluminibus maris creſcere, & multiplicare dignatus es: præſta quæſumus, ut hos parvos piſciculos in iſtam piſcinam impoſitos creſcere, & multiplicare tua gratia digneris. Per Dominum noſtrum &c.

Creſcite & multiplicamini vos parvi piſciculi, & replete iſtam piſcinam in nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritus † ſancti. Dominus det vobis ſuam benedictionem, Amen.

Oremus.

Deus omnipotens, qui hanc creaturam piſcium ex aquarum fluctibus in mundi principio prodire juſſiſti, quam inter cæteras creaturas tuo ore benedicto dignatus es benedicere, & de qua poſt aſſumptam humani generis formam unigenitus Filius tuus coram diſcipulis ſuis aſſa igni comedere voluit, ad inſinuandum nobis ſuæ paſſionis cruciatus, bene † dic etiam hos cibos piſcium, & præſta nobis, ut qui de

paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ardore tribulationis ſumus excocti, de ineffabili ejus reſurrectione refrigerati, pane cœleſti lætemur. Per eundem Dominum noſtrum, &c.

*Deinde aſpergatur aqua benedicta pro more.*

## Benedictio

### Putei novi vel fontis.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Supplices deprecamur Domine clementiam pietatis tuæ: ut aquam putei hujus cœleſti bene † dictione ſanctifices ad communem vitæ uſum, concedas eſſe ſalubrem, & ita ex ea fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incurſum: ut quicunque ex ea hauſerint, vel biberint, vel in quibuscunque neceſſariis caſibus hauſta aqua uſi fuerint: totius virtutis, ac ſanitatis dulcedine perfruantur: ut tibi ſanctificatori & ſalvatori omnium Domino gratias agere mereantur.

antur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui in hujus putei altitudinem, per crepidinem ſiſtularum, copiam aquarum manare juſſiſti: præſta ut te jubente atque benedicente † per noſtræ officium functionis, repulſis hic phantaſmatibus, calliditatibus, atque inſidiis diabolicis, purificatus atque emundatus ſemper hic puteus perſeveret. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

## Benedictio

Pulveris jaculatorii ſeu pyrii.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Exorcismus.

Exorcizo vos creaturas pulveris tormentarii (globorum plumbeorum, & ferreorum) per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum †

um † ſanctum, & per ſanctiſſimam Trinitatem, Pa†trem, & Fi†lium, & Spiritum † ſanctum: & per Deum, qui omnia creavit ex nihilo: qui rebelles Angelos de cœlo ad inferos præcipitavit: & per Jeſum Chriſtum Filium ejus, Dominum noſtrum, qui daturus eſt prædeſtinatis feliciter regnum æternum, & reprobis damnationem: & per omnia ſancta Dei vos conjuro, & exorcizo, & per omnia modo dicta, ut ſint in defenſionem omnium præſtigiorum, maleficiorum, & ſuperſtitioſarum illuſionum corporis humani: ita ut nihil impedire valeat, quo minus per has creaturas Dei inimici noſtri, & catholicæ fidei hoſtes offendi, penetrari, & ſuperari valeant. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, Amen.

Ore-

## Oremus.

Ineffabilem clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut ſicut tu es unus in eſſentia, & trinus in perſonis, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; ita per eandem immenſam clementiam, & pietatem bene † dicere digneris has tuas creaturas pulveris tormentarii (globorum plumbeorum, & ferreorum &c.) ut ſint omnibus chriſtianis fidelibus ad defenſionem, juſtis ea uſurpantibus protectio, & defenſio perpetua contra omnes ſpiritus malignos, incantationes, præſtigia, & maleficia: ſintque perpetuæ malignorum ſpirituum, & maleficiorum expulſio, annihilatio, eorumque ac omnium præſtigiorum ac ſuperſtitioſarum illuſionum diſſolutio & diſſipatio, ut quemcunque locum humani corporis ac hoſtilis tetigerint, nulla ſpirituum malignorum poteſtas eorum vim retundere, vel debilitare poſſit, quo minus pro Fidei catholicæ ac fide-

lium

lium ſervorum tuorum defenſione, vel propugnatione iniquorum hoſtium cuneos penetrare, & ſuperare poſſint: idque benigniſſime Deus pro tua miſericordia præſtare digneris per virtutem ſanctiſſimæ cru†cis Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula, ſæculorum. Amen.

*Aſpergatur aqua luſtrali, dicendo:*
In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti. Amen,

## Benedictio
Roſariorum Confraternitatis ejusdem SS. Roſarii.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexiſti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, de cœlis in terram deſcendere, & de beatiſſimæ Virginis

nis Mariæ Dominæ noſtræ utero ſacratiſſimo, Angelo nunciante, carnem ſuſcipere, crucemque, ac mortem ſubire, & tertia die glorioſe a mortuis reſurgere voluiſti, ut nos eriperes de poteſtate diaboli, obſecramus immenſam clementiam tuam; ut hæc ſigna Roſarii in honorem, & laudem ejusdem Genitricis Filii tui ab Eccleſia tua fideli dicata, be✝dicas, & ſancti✝fices, eisque tantam Spiritus ſancti infundas virtutem, ut quicunque horum quodlibet ſecum portaverit, atque in domo ſua reverenter habuerit, & in eis ad te, ſecundum ejusdem ſanctæ Societatis inſtituta, divina contemplando myſteria devote oraverit, ſalubri & perſeveranti devotione abundet, ſitque conſors & particeps omnium gratiarum, privilegiorum, & indulgentiarum, quæ eidem Societati per ſanctam Sedem Apoſtolicam conceſſa fuerunt, ab omni hoſte viſibili & inviſibili ſemper ac ubique, in

hoc

hoc & in futuro ſæculo liberetur, & in exitu ſuo ab ipſa beatiſſima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus præſentari mereatur. Per eundem Chriſtum &c.

*Aſpergantur aqua benedicta dicendo:* In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti. Amen.

# Benedictio
## Scapularium B. M. Virginis.

*Hæc benedicens accenſas habeat duas candelas & dicat :*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

℟. Et ſalutare tuum da nobis.

℣. Domine Deus virtutum converte nos.

℟. Et oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Suppliciter te Domine rogamus, ut ſuper hunc habitum ſervo tuo imponendum bene✝dictio tua benigna deſcendat, ut ſit benedictus, atque divina virtute procul pellantur hoſtium noſtrorum viſibilium & inviſibilium tela nequiſſima. Amen.

Oremus.

Caput omnium fidelium Deus, & humani generis Salvator hunc habitum, quem propter tuum tuæque genitricis Virginis Mariæ de monte Carmelo amorem atque devotionem ſervus tuus eſt delaturus, dextera tua ſancti ✝ fica, & hoc, quod per illum myſtice datur intelligi, tua ſemper cuſtodia corpore,

& animo ſervetur, & ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus feliciſſime perducatur. Qui vivis, & regnas, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Creator, & Conſervator, & Salvator omnium, largitor humanæ ſalutis Deus, & dator gratiæ ſpiritualis, bene†dictionem ſuper hunc habitum immitte, ut, qui eum geſtaverit, cœleſti virtute munitus, & fidem integram, ſpem firmam, & charitatem deſideratam teneat; & a te nunquam ſeparari permittas. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta pro more.*

## Benedictio

### Stabuli Equorum, boum, & aliorum animalium.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Ore-

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut ſicut domos Hebræorum in Ægypto ſanguine agni aſperſas cuſtodiſti in eorum exitu de Ægypto ab Angelo percutiente: ita mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat ſtabulum, ſeu locum iſtum a maleficiis, fraudibus, & ab omnium inimicorum inſidiis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Bene†dic Domine locum iſtum, & defende illum cum omnibus jumentis (*vel* pecoribus, &c.) ejus ab omni mala tempeſtate, ab igne, & infirmitate, ab ira ventura, & ab omnibus diabolicis tribulationibus & inſidiis. Et tu Deus, qui unigenitum Filium tuum, ac Redemptorem noſtrum in jumentorum ſtabulo naſci, & collocari voluiſti, ejus eſſe velis habitator, & cuſtos, eumque ab

omni malo cuſtodire digneris. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Aſpergatur totum ſtabulum aqua benedicta.*

# Benedictio

Animalium peſtis tempore.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

Oremus.

Miſericordiam tuam Domine ſupplices exoramus; ut hæc animalia, quæ gravi infirmitate vexantur, in nomine tuo, atque tuæ benedictionis † virtute ſanentur. Extinguatur in eis omnis diabolica poteſtas, nec ulterius ægrotent. Tu eis Domine ſis deſenſaculum vitæ, & remedium ſanitatis. Per Dominum &c.

*Aſpergantur pecora aqua benedicta.*

Be-

# Benedictio

Pabuli pro animalibus, ut fœni, ſalis, avenæ, &c. quæ in quibusdam locis fit in feſto S. Stephani Protomartyris.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

Benedicat Dominus omnipotens has creaturas pabuli (ſalis, fœni, avenæ &c.) & gratia ejus ſit ſemper nobiſcum. ℟. Amen.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. &c. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac ſervos tuos.

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, Creator cœli & terræ, Rex Regum, & Dominus Dominantium, exaudi nos famulos tuos, clamantes & orantes ad te, qui omnia de nihilo creaſti, & hoc pabulum cum cæteris creaturis ad uſus animalium, & ad eorum nutrimentum feciſti, ipſa vero animalia in adjutorium ( *vel* ſuſtentationem ) hominum creaſti. Te humiliter deprecamur, ut has creaturas fœni ( *vel* ſalis *vel* avenæ *vel* hordei, &c.) quas ad uſus animalium & ſanitatem eorum creaſti, per invocationem SS. nominis tui, & interceſſionem B. M. ſemper Virginis Genitricis tuæ, & per interceſſionem, ac merita S. Protomartyris tui Stephani, & S. N. ac merita omnium Sanctorum tuorum bene†dicere, & ſancti†ficare digneris, ut animalia, quæ ex eis guſtaverint, ſanitatem integraliter recipiant. Per te Jeſu Chriſte, cujus ſolo verbo reſtaurantur omnia,

Sal-

Salvator mundi, Rex æternæ gloriæ, qui in Trinitate perfecta cum Patre & Spiritu ſancto vivis, & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Deus, qui temporibus Eliæ Prophetæ cœlum a nubibus reſtringendo clauſiſti, & rurſus aperiendo, te mirabilem oſtendiſti: exaudi preces plebis tuæ per unigenitum Filium tuum, quem conſubſtantialem tibi, & coæqualem in divinitate credimus, & Spiritum ſanctum Paraclytum, quem ab utroque procedentem confitemur: & per merita B. Virginis Genitricis tuæ Mariæ, & ſancti Protomartyris tui Stephani, & Sancti N. ut bene†dicas, & ſancti†fices hoc pabulum fœni, ſalis, (*vel* avenæ, *aut* hordei &c.) ut quæcunque jumenta & animalia ex eis comederint, adjutorium ſanitatis & incolumitatis percipiant, per te Domine ſancte Pater omnipotens, qui cum

Filio, & Spiritu ſancto vivis, & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

*Et elevata dextera, vel aliqua reliquia dicitur:*

Benedictio Dei Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti deſcendat ſuper hoc pabulum, & ſuper has creaturas fœni, ſalis, avenæ, hordei, ſiliginis &c. & maneat ſemper.

℟. Amen.

*Aſpergantur aqua benedicta.*

## Benedictio

### Equorum in feſto S. Stephani Protomartyris.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Oremus.

Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam gratiam conferre dignatus es, ut quidquid in tuo nomine ab eis agitur, a te fieri credatur: quæſumus clementiam tuam, ut, quidquid in tuo nomine benedicturi ſumus, benedicas: ſitque ad noſtræ operationis initium fuga dæmonum, & Angelorum pacis auxilium. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Deus, qui laboribus hominum, etiam de mutis animalibus ſolatia ſubrogaſti, te ſupplices exoramus, ut, ſine quibus non alitur humana conditio, noſtris facias uſibus non perire.

Lectio Jeremiæ Prophetæ. *Jerem. 14.*

Si iniquitates noſtræ contenderint contra nos, Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ ſunt averſiones noſtræ, tibi peccavimus. Expectatio Iſrael in tempore tribulationis noſtræ, tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum Salvator

noſter invocatum eſt ſuper nos Domine Deus noſter.

℣. Tu autem Domine miſerere nobis.

℟. Deo gratias.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Sequentia S. Evangelii ſecundum Marcum.

℟. Gloria tibi Domine.

In illo tempore dixit Jesus diſcipulis ſuis : habete fidem Dei. Amen dico vobis, quicunque dixerit huic monti, tollere & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit: fiat, fiet ei. Propterea dico vobis: omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & eveniet vobis. Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Quod ſi vos non dimiſeri-

ſeritis, nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.

℟. Laus tibi Chriſte.

Exorcizo vos dœmones, immundos & malignos ſpiritus, quicunque animalia, Dei vivi & veri creaturas, affligere, & vexare ſoletis, & adjuro vos per Deum vivum † per Deum verum †, per Deum ſanctum † Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, ut exeatis, & recedatis a Parochia iſta, nec unquam ad eam reverti præſumatis, neque in ea degentibus hominibus, equis, aut jumentis damnum aliquod, aut maleficium in illorum vitæ, ſanitatis, aut utilitatis detrimentum inferatis per eum, qui vos in patibulo crucis vicit, & ſuperavit, arma veſtra, in quibus confidatis, vobis abſtulit, ac poteſtatem veſtram in conſolationem, & ſalutem ſuorum fidelium alligavit, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem.

℟. Amen.

Adjuro vos malignos ſpiritus per Creatorem cœli & terræ, per incarnationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejusque Circumciſionem, Transfigurationem, Baptiſmum, Jejunium, & per Crucem ejus, per clavos, lanceam, per latus, manus, & pedes ejus in cruce perforatos, per Paſſionem, Mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, & Spiritus ſancti miſſionem, per glorioſam Virginem Mariam ejus Matrem, per merita, & interceſſionem S. Stephani Proto-Martyris, S. Nicolai, & S. Martini Epiſcopi & Confeſſoris, ac SS. NN. per merita omnium Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & omnium Electorum, præſertim eorum, quorum Eccleſiæ, Altaria, Reliquiæ exiſtunt in hac Parochia ad fidelium venerationem, ut nunquam acceſſum habeatis in hujus Parochiæ diſtrictum, ad nullum detrimentum hominum, equorum, aut animalium aliorum, & quarumcunque rerum huma-

manæ utilitati a Deo indultarum. In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus ſancti †. Amen.

Oremus.

Domine Deus, Pater omnium rerum, defende nos, equos, jumenta, & pecora hujus Parochiæ fidelium: defende Domine familias ejus ab omnibus malis, per virtutem aquæ nomine tuo a miniſtris Eccleſiæ tuæ benedictæ, & per invocationem S. nominis tui. In nomine Patris, † & Filii, † & Spiritus ſancti †. Amen.

Exterminentur diaboli a terminis juſtorum per invocationem ſancti nominis tui, & omnium Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & omnium Electorum, & nos, & animalia noſtra ab omni malo liberare & cuſto-

dire digneris, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Hic fit aſperſio cum aqua benedicta ſuper equos, & adſtantes.*

## Benedictio

Thalami ſeu Thori.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Bene✝dic Domine Thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace conſiſtant, & in tua voluntate permaneant, & ſeneſcant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna cœlorum perveniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Poſtea aſpergatur Thalamus aqua benedicta.*

## Benedictio

Terræ ſeminatæ ſeu ſementis in agris.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Ore-

Oremus.

Bene✝dicat nos Deus, Deus noſter, & terræ noſtræ ubertatem concedat: in centuplum multiplicet fructum ejus, ut viventes in exultatione, manipulos colligamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Dignare Domine bene✝dicere terram iſtam, ut det fructum bonum, & ſanctum in tempore ſuo. Nam ego in nomine tuo, & S. N. eam bene✝dico, & ſancti✝fico, ut nullus ſpiritus poſſit eam turbare. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ ſancti.

O Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſupplices te deprecamur, ut miſericordia tua jugiter nobis concedas ſufficientem meſſium copiam, ac fructuum omnium largitatem tribuas, vinearum quoque ſubſtantiam abundantem, arborum fœtus, proventusque omnium rerum: atque ab ipſis omnibus pe-

ſtiferum ſidus, tempeſtatis procellam, & grandinis fragorem, & univerſa mala amovere digneris. Sancte N. rogo te, ut bene✝dicas, & ſancti✝fices hanc terram, ſegetes, arbores, &c. nec poſſit ullus dœmon ſuper hanc terram ſeminatam, & fructus inde proventuros quidquam habere poteſtatis. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spritus ✝ ſancti. Amen.

Oremus.

O Domine Deus, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut ſuper hæc ſata & fruges veniat ſperatæ bene✝dictionis tuæ ubertas, & omnia ad maturitatem fertilitatis perducere dignare, & mittere Spiritum ſanctum cum ſanctis Angelis tuis, ut defendant has ſegetes noſtras a noxiis beſtiis, & inimici inſidiis, & eas bene✝dicant, ſicut & ego eas benedico. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ ſancti. Amen.

*Aſpergantur aqua benedicta.*

Bene-

# Benedictio

Contra noxias aves, animalia, & inſecta, terram & fructus vaſtantia.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

## Oremus.

Preces noſtras, quæſumus, Domine clementer exaudi: ut, qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, & harum noxiarum avium (*vel* murium, *vel* vermium, *vel* locuſtarum, &c.) perſecutionem patimur, pro tui nominis gloria, ab ea miſericorditer liberemur, ut procul a tua potentia expulſæ, (*vel* expulſi) nulli noceant, & hos agros, (*vel* prata, *vel* vineas, *vel* aquas &c.) in tranquillitate & quiete dimittant, quatenus ex eis provenientia tuæ majeſtati deſerviant, noſtræ neceſſitati abſque nocumento ſubveniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ex-

## Exorcismus.

Exorcizo, & adjuro vos, peſtiferi vermes, *vel* mures, *vel* locuſtæ, &c.) noxia animantia, per Deum Pa†trem omnipotentem, per Jeſum † Chriſtum Filium ejus Dominum noſtrum, & per Spiritum † ſanctum, ab utroque procedentem, & per interceſſionem B. Mariæ Virginis, & Sancti N. ut confeſtim recedatis ab his agris, (*vel* campis, *vel* pratis, *vel* hortis &c.) nec amplius in eis habitetis, ſed ad illa & talia loca tranſeatis, ubi nullis Dei ſervis nocere poſſitis, pro parte omnipotentis Dei, & totius curiæ cœleſtis, ſancti N. & Eccleſiæ ſanctæ Dei vos maledicens, ut, quocunque ieritis, ſitis maledicti, deficientes de die in diem in vos ipſos, & decreſcentes, ita ut reliquiæ in vobis nullo in loco inveniantur, niſi neceſſariæ ad ſalutem, & uſum hominum, quod præſtare dignetur, qui

ven-

venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

## Alius Exorcismus.

Exorcizo, & adjuro vos dœmones, per Deum Pa✝trem omnipotentem, qui in deſerto per quadraginta annos cibavit filios Iſrael manna, & ex petra aquam eduxit eis ad bibendum, ut ſtatim ab his agris, (campis, vineis, pratis, hortis, aquis) omne, quod noxium eſt, amoveatis: adjuro etiam vos animalia, & quæcunque per maleficium diaboli noxia eſtis hominibus, & bonis eorum, per Deum Patrem omnipotentem, & per Filium ejus, & per Spiritum ſanctum Paraclitum, ut hinc diſcedatis, & nocere deſinatis graminibus, frugibus, piſcibus (*exprimantur, quæ nocumentum patiuntur.*) & diſſipemini: & omnis virtus & poteſtas nocendi vobis adimatur, & interimat vos dextera Dei omnipotentis per invocationem nominis ſui, & per paſſionem

nem, & mortem Jeſu Chriſti Filii ſui, & per merita Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & Sanctarum cœleſtis curiæ. Amen.

Concludat Exorciſta ſequenti oratione.

Omnipotens, ſempiterne Deus, remunerator omnium bonorum, & pœnitentium peccatorum maximus miſereator, in cujus nomine omnia genua flectuntur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, concede nobis propitius; ut quod de gratia & miſericordia tua confiſi agimus, per eandem gratiam & virtutem tuam efficacem conſequamur effectum; ut per tuam clementiam ab hac peſte liberati, majeſtati tuæ congruas referamus gratiarum actiones. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*Aſpergat agros, prata, hortos, vel vineas aqua benedicta.*

# Benedictio

S. Emygdii contra terræ motus, *ex act. Bolland. Tom. II. Auguſti ad diem V.*

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Bene†dicat tibi Dominus, & cuſto†diat te, oſtendat faciem ſuam tibi, & miſereatur tui, conver†tat vultum ſuum ad te, & det tibi pacem, & ſanitatem: Dominus bene † dicat domum hanc, & omnes habitantes in ea, ac liberet ab impetu terræ motus, in nomine & virtute Jeſus.

J. N. R. J.

✠ Chriſtus nobiscum, ſtate ✠ Sancte Emygdi ora pro nobis, & defende nos ab impetu terræ motus, in nomine JESU Chriſti Nazaræni.

℟. Amen.

Oremus.

Omnipotens, ſempiterne Deus, qui reſpicis terram, & facis eam tremere, parce metuentibus, propitiare ſupplicibus, ut, cujus iram

ter-

terræ fundamenta concutientem expavimus, clementiam contritiones ejus ſanantem, jugiter ſentiamus. Per Dominum. &c.

## Benedictio
### Vexilli Eccleſiaſtici.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, cujus Eccleſia eſt velut caſtrorum acies ordinata, bene † dicere digneris hoc vexillum, ut omnes ſub eo tibi Domino Deo noſtro exercituum militantes, per interceſſionem Sancti N. Patroni inimicos ſuos viſibiles in hoc ſæculo ſuperare, & poſt victoriam in cœlis triumphare mereamur. Per te Jeſu Chriſte, qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta pro more.*

Be-

# Benedictio
## Vini in Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.

*Sacerdos ſuperpelliceo ſeu alba & ſtola de feſto indutus, ſtans in cornu epiſtolæ, vino extra dictum cornu juxta ſe in menſa poſito, & vaſis, quibus continetur, apertis dicat:*

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

℣. Initium S. Evangelii ſecundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In Principio erat verbum, *ut in Miſſali. In fine dicitur:* Deo gratias.

### *Pſalmus 22.*

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocavit.

Su-

Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.

Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ: propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Virga tua & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam: adverſus eos, qui tribulant me.

Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quam præclarus eſt.

Et miſericordia tua ſubſequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et, ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Gloria Patri, & Filio &c.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac fideles tuos.

℟. Deus

℟. Deus meus ſperantes in te.
℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.
℟. Beatus vir, qui ſperat in eo.
℣. Etſi mortiferum quid biberint.
℟. Non eis nocebit.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus imperio cœli firmati ſunt, cui omnis creatura deſervit, & omnis poteſtas ſubjecta eſt, & metuit, & expaveſcit: nos te in auxilium noſtrum invocamus, cujus audito nomine ſerpens conquieſcit: draco fugit: vipera ſilet: & ſubdola illa, quæ dicitur rana, in-

quieta

quieta torpeſcit: ſcorpio extinguitur: regulus vincitur: ſqualangus nihil noxium operatur: & omnia venenata, & adhuc fortiora animalia noxia terrentur. Tu Domine extingue omnes diabolicas fraudes, & omnes humano generi adverſantes nequitias, & hunc liquorem vini per interceſſionem S. Joannis Evangeliſtæ tua virtute bene†dicito, & omnes ex eo guſtantes meritis & precibus ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum tuorum intervenientibus, ab omni malo cuſtodias, & ad regnum gloriæ tuæ perducas. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.

Oremus.

Deus, qui mirabili potentia vinum producis ex vite, ut inde exhilaretur cor hominis, qui mirabili potentia in Chana Galileæ ad potandum nuptiali populo aquam convertiſti in vinum: quique mirabi-

biliſſima potentia per manum Sacerdotum, elementum vini quotidie in ſacratiſſimum tuum transformas ſanguinem. Deus, cujus poteſtate Joannes Evangeliſta venenoſi potus digeſſit toxicum, bene†dicere dignare hanc creaturam vini, ut omnes ex eo guſtantes meritis & precibus expulſo toto genere nocivo, infuſo tuæ bene†dictionis myſterio, in anima & corpore mereantur miſericorditer exhilari. Per Dominum noſtrum, &c.

Oremus.

Beati Joannis Evangeliſtæ, quæſumus Domine, ſupplicatione placatus & veniam nobis tribue, & remedia æterna concede. Per Dominum noſtrum, &c. Et benedictio Dei Pa†tris omnipotentis, & Fi†lii, & Spiritus† ſancti, deſcendat ſuper hanc liquorem vini, & maneat ſemper. Amen.

*Deinde aſpergit vinum aqua benedicta.*

# Benedictio

Veſticularum ab infantibus geſtari ſolitarum in honorem alicujus Sancti vel Sanctæ.

℣. Adjutorium noſtrum &c.

## Exorcismus.

Exorcizo te creatura indumenti, per eum, qui te paravit ad ornamentum generis humani: ut ſis indumentum bene†dictum, pu†rum, & mun†dum ab omni macula diaboli & miniſtrorum ejus, & ab omnibus facturis & maleficiis, cujuscunque generis ſint; & vires diaboli retinere non poſſis: ſed ſis in nomine Sancti, *vel* Sanctæ N. indumentum pu†rum, bene†dictum, & ſancti†ficatum.

## Oremus.

Quæſumus Domine: ut hoc indumentum puri†ficare, bene†di-

dicere, & ſancti † ficare digneris; nam ego Sacerdos tuus hoc indumentum in nomine tuo & Sancti, *vel* Sanctæ N. bene†dico, puri†fico, & ſancti†fico.

Concede Domine: ut, qui illud portaverit, & induerit, cœleſtis gratiæ & bene†dictionis plenitudinem valeant accipere; ut ab omnibus dæmonum inſidiis & facturis ſit liber & defenſus. In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti (*hoc dicendo aſpergat veſticulam unda luſtrali*) ℟. Amen.

## Benedictio communis.

Rerum commeſtibilium, aut uſualium quarumvis.

℣. Adjutorium noſtrum, &c.

Oremus.

Bene†dic Domine creaturam iſtam N., ut ſalutare remedium ſit creaturæ tuæ, quam pretioſo ſanguine

redemiſti: & præſta per invocationem tui ſancti nominis, & Sancti N. ſervi tui, ut quisquis ea uſus fuerit, benedictionem percipiat, & ſanitatem: atque contra omnes morbos, atque univerſas inſidias diaboli & inimicorum tutamen ſit: & ego N. tuus Sacerdos, in nomine tuo & Sancti N. hanc creaturam N. bene†dico, ac ſancti†fico, ut ſit defenſio creaturis tuis, & ignis ardens dœmoniorum, ſit deſtructio, & expulſio, atque annihillatio omnium facturarum, & diabolorum. In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus† ſancti. Amen.

*Aſpergatur aqua benedicta.*

# INDEX
## PARTIS PRIORIS.

Pag.
Exercitium matutinum. 3
Exercitium veſpertinum. 24
Exercitium ante ſacram Confeſſionem. - - - - 39
Exercitium poſt ſacram Confeſſionem. - - - 48
Exercitium ante Sacrificium Miſſæ 55
Item aliud brevius S. Franciſco Saleſio Genevenſi Epiſcopo uſitatum. - - - - - 87
Exercitium poſt Sacrificium Miſſæ 98

*Exercitium ſacrorum rituum in adminiſtratione Sacramentorum.*

Baptiſmi Parvulorum. - 116
Sacramenti Pœnitentiæ - 141
Sacramenti Euchariſtiæ. - 157
Ejusdem per modum viatici 164
Sacramenti extremæ Unctionis 176

*Exercitium circa viſitationem infirmorum, & aſſiſtentiam moribundorum.*

Monita generalia in ea obſervanda. - - - - 220
§. 1. Affectus moribundis ſuggerendi in ſuſceptione ultimorum Sacramentorum morientibus dari ſolitorum. - - 245
§. 2. Indulgentiæ moribundis applicandæ. - - - 273
Modus impertiendi benedictionem papalem in articulo mortis 275
Actus virtutum theologicarum. 280
§. 3. Varia remedia & motiva adverſus tentationes moribundis ſuggerenda. - - - 289
§. 4. Varii affectus virtutum moribundis ſuggerendi. - 306
§. 5. De iis, quæ inſtante morte Confeſſario agenda ſunt circa moribundum. - - 347
§. 6. De ſignis imminentis moribundo mortis. - - 355
§. 7. Intentio & ultima pie morientium ſuſpiria. - - 358

§.

*Exercitium circa exequias, & ſepulturas.*
Ordo exequiarum & ſepulturæ adultorum. - - - 417
Ordo exequiarum & ſepulturæ parvulorum. - - - 424
*Exercitium variarum benedictionum.*
Mulieris poſt partum. - 434
Aquæ benedictæ ordinariæ. 439
Aquæ ſub invocatione S. Ignatii, vel Franciſci Xaverii. - 443
Areæ ſeu horrei frumentarii. 446
Annulorum ſponſalitiorum. 448
Aquæ adverſus morbos infirmorum. - - - - 449
Candelarum in Feſto S. Blaſii. 452
Candelarum in Feſto SS. Joannis & Pauli. - - - 454
Candelarum Confraternitatis SS. Roſarii. - - - 457
Crucis novæ - - - 459
Crucis erigendæ in campis contra tempeſtates. - - 460
Domorum communis. - 465

Domus novæ - - - 466
Domorum in vigilia Nativitatis, Profeſto Circumciſionis, & vigilia Epiphaniæ - - 467
Alia brevior. - - - 471
Domus a periculo ignis præſervandæ. - - - 472
Super fructus agrorum, pratorum, vinearum &c. 473
Fornacis fuſoriæ metalicæ vel coctoriæ laterum, calcis &c. 475
Ad repellendas noxias aeris tempeſtates. - - - 476
Herbarum in Feſto Aſſumptionis vel alio B. V. Mariæ. 479
Imaginum, numiſmatum vel annulorum - - - 485
Infirmorum, oleo ex lampade in honorem alicujus Sancti appenſa, ungendorum. - 488
Paſchalis agni, carnium, ovorum, & panis. - 490
Panis & aquæ in Feſto S. Agathæ contra periculum ignis. 492
Piſcinæ & piſcium. - 494

Pu-

Putei novi vel fontis. 496
Pulveris jaculatorii ſeu pyrii 497
Roſariorum Confraternitatis ejusdem SS. Roſarii. - - 500
Scapularium B. V. Mariæ. 502
Stabuli equorum, boum & aliorum animalium. - 504
Eorundem peſtis tempore. 506
Pabuli eorumdem. - 507
Equorum in Feſto S. Stephani. 510
Thalami ſeu thori. - 516
Terræ ſeminatæ, ſeu ſementis in agris. - - - 516
Contra noxias aves, animalia, & varia inſecta terram & fructus vaſtantia. - - - 519
Contra terræ motus S. Emygdii. 523
Vexilli Eccleſiaſtici. - 524
Vini in Feſto S. Joannis Evangeliſtæ. - - - 525
Veſticularum ab infantibus geſtari ſolitarum. - - 530
Rerum quarumvis uſualium. 531

*FINIS.*